BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
14
3 E
2

XLIV.C.27.

14-11-9-7

~~6-12-2-15~~

Digitized by Google

SERMONUM
LIBRI TRES.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BERNARDI GUILIELMINI

C. R. SCHOLARUM PIARUM

SERMONUM

LIBRI TRES.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIO PALEARINIANO.

ANNO REP. SAL. cIↃ. IↃCC. XLII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BERNARDUS GUILIELMINUS SCHOL. PIAR. P. F.

V*ERENDUM non eſt*, BEATISSIME PATER, *ne rem Tibi non gratiſſimam faciant ii, qui Sanctitati tuæ offerunt, aut* de-

Digitized by Google

dedicant Clariſſimo Nomini tuo libros, quos aut de Legibus cum Canonicis tum Civilibus, aut de Eccleſiaſtica Hiſtoria & Diſciplina, aut de Ritibus Sacris & Theologicis Dogmatibus divulgant. Compertum eſt enim omnibus, Te quanquam variis ſemper Chriſtianæ Reip. Muneribus occupatiſſimum, in hiſce graviſſimis ſtudiis verſatum eſſe eo fructu, ut quod in iis perfectum eſt ac ſummum, totum in Te exprimeres, ac veluti tuum efficeres, & eos, qui ſtudia eadem digne recolerent, amares plurimum, ac laudibus & præmiis cumulares. Hinc fortaſſe putabit quiſpiam me non initurum apud Te eandem gratiam, qui non eorumdem ſtudiorum ſpecimen Tibi exhibeam, ſed plane diverſum, utpote quod ab amœnioribus literis Muſarumque Choro unice petitum ac

deprom-

depromtum eſſe videatur. *Sed me non terret, nec valde movet ſuſpicio hæc,* Beatissime Pater, *quum libellus, quem exhibere Tibi auſus ſum, Sermones contineat, quoſdam ſcilicet veluti duces Morum ac magiſtros vitæ bene ducendæ, quos pro Inſtituto meo præcipue ad erudiendam Juventutem, qua potui diligentia, elucubravi, & in Romanis Academiis magna ex parte publice pronunciavi. Nemo autem non videt hujuſmodi opus nulli decentius atque convenientius, quam Summo Pontifici dedicari. Is enim eſt Divino Jure conſtitutus Inſpector vitæ noſtræ ac Morum* Cenſor *primarius, cujus eſt æquum ab iniquo ſecernere, ſanctiſſimas* Leges *& interpretari & condere, quid quiſque ſequatur, aut rejiciat, definire, licentiam denique ſententia ſua damnare, atque infli-*

ƈa interdum pœna cohibere. Quid vero dicam ſi, qui ea Dignitate ornatur, is Vir ſit, cujus vita integerrima ſanctiſſimique Mores lex eſſe poſſint palam propoſita bene vivendi, ac vivum ceteris ad colendam Virtutem incitamentum? Fauſte igitur ac feliciter mihi res vertet, Beatissime Pater, *quum hæc in Te duo complexa ſint, & ſuprema Dignitas, quam veneremur, & Virtus eximia, quam imitemur. Enimvero per omnes Honorum gradus ad Apoſtolicam Sedem aſcendiſti: ad ſingulos autem non paria ſolum, verum etiam majora merita attuliſti. Tantum abfuit, ut antiquiſſima Gentis tuæ Nobilitas Te, ut Patriciis bene multis evenit, faſtui, otio, luxui, deliciis traderet, quinpotius acerrimos admoveret ſtimulos ad omnes ſcientias celeriter*

com-

Digitized by Google

comparandas , & ad ſemitam cujuſcunque Virtutis ſtrenue perſequendam . Ex *quo factum eſt ut ad* Forum *eloquentiam cum veritate , ad Tribunal doctrinam cum æquitate, ad primaria Sacerdotia prudentiam cum integritate conjungeres : ad hoc vero Auguſtiſſimum* Catholicæ *Eccleſiæ Imperium omnium votis efflagitatus , omnium plauſu ac lætitia exceptus cum Divinarum & humanarum rerum cognitione ſinceram Religionem , cum conſtantia & fortitudine beneficentiam ac liberalitatem , cum amplitudine denique ac majeſtate facilitatem privati pene hominis atque ſingularem humanitatem afferres. Quod igitur ego hiſce meis Sermonibus nitor de Moribus formandis diſſerere ac ſtatuere , id Tu ,* Beatissime Pater , *re ipſa longe excellen-*
b *tius*

tius præſtas . In Te enim perfectum, idemque efficaciſſimum exemplar continentiæ , laboris , vigilantiæ , Virtutumque omnium non Roma ſolum, non Italia, ſed univerſus Orbis ſuſpicit, amat, admiratur. Quamobrem Libellum hunc meum, in quo quædam vitæ tuæ imago adumbrata eſt ac delineata ; non diffido fore SANCTITATI TUÆ *ſi minus propter tenuitatem ingenii mei acceptum & jucundum , ſaltem propter dignitatem rei non gravem neque moleſtum. Ex Collegio Eccleſiaſtico ſexto Kal. Junii* 1742.

LE-

Digitized by Google

LECTORI S.

EXHIBEO Tibi, LECTOR BENEVOLE, Sermones, vel ſi mavis lucubrationes de Moribus, Carminibus comprehenſas. Dices fortaſſis Sermones de Moribus metum incuſſuros nonnullis verentibus maledicentiam: comprehenſos autem Carminibus non multis placituros: nam pauci ſunt nunc temporis, qui ament Carmina, pauci, qui magni faciant. At ſatis mihi futurum eſt, ſi paucis iis placeant æquis rerum judicibus, qui vertunt non mediocri malo rei literariæ, & præpoſterò judicio ætatis noſtræ, id negligere atque etiam repudiare, quod omnis antiquitas coluit atque amplexa eſt. Non enim ignorant homines ſapientiſſimi non ſolum profanos Auctores maximi momenti res ſumma cum laude interdum verſibus pertractâſſe: verum etiam Viros bene multos ſanctiſsimos atque graviſſimos, quin etiam Prophetas ipſos cæleſti Spiritu afflatos res Divinas magnamque Sacræ Scripturæ partem [a] hoc dicendi genere luculenter expoſuiſſe. Quis igitur Carmina jure contemſerit, quis non inconſulto, non injuſte condemnaverit? Quod vero attinet ad metum nonnullorum, illi profecto Sermones meos timebunt injuria. Vide Tu, ſi libet, primum Libri primi, eumque teſtem adhibe animi mei veritatis quidem ſtudioſiſſimi: non ejus tamen, quæ violando homines odium pariat, ſed quæ vitia arguendo Virtutis amorem conciliet. Nihil enim mihi unquam antiquius fuit dicto P. Syri Mimi admonentis, *Pacem cum hominibus habendam eſſe, bellum cum vitiis*. Lege igitur abſque metu ullo, & ſiquid boni inveneris, eo velim utaris plurimum, atque etiam perfruaris: quod vero inconcinni, duri, incomti occurrerit, id totum per me licet prætereas, damnes, deleas. Nulla enim ſcribenti mihi voluntas fuit, niſi quæ in faciendam Tibi rem gratam maxime propenſa eſſet ac penitus occupata. Vale.

a Videlicet Lib. Job a Cap. 3. uſque ad v. 6. Cap. 42. verſu hexametro compoſitum, Lib. Pſalmorum, Lamentationes Jeremiæ, & omnia ferme Scripturarum Cantica. Vid. Præf. in Job. S. Hieron. qui citat Philon. Joſeph. Orig. & Euſeb. Cæſarien.

JOANNES FELIX
A VIRGINE PRÆSENTATA
Cl. Reg. Matris Dei Scholarum Piarum
PRÆP. GENERALIS.

CUM Librum, cui Titulus *P. Bernardi Guilielmini Cler. Reg. Schol. Piar. Sermonum Libri tres*, duo ex noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint, & approbaverint, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum Fidem &c.

Datum Romæ in Ædibus noſtris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem pridie Nonas Aprilis anno 1742.

Jo: Felix a Virgine Præſentata
Præpoſitus Generalis.

Laurentius a S. Hyacintho
Secretarius.

IMPRI-

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſgerens.

APPROBATIO.

SERMONES *P. Bernardi Guilielmini Cler. Reg. Scholarum Piarum* Juſſu Reverendiſſimi P. Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici ſumma legi cum voluptate; in quibus nihil plane reperi, quod Fidei Catholicæ boniſque moribus adverſetur: nudi ſunt, atque venuſti; mira Latini Sermonis caſtitas & elegantia, multaque in iis ad efformandos adoleſcentum mores accommodatiſſima. Quamobrem Libellum digniſſimum puto, qui typis edatur.

Datum Nonis Aprilis cIↄ. Iↄcc. xlii.

Michael Angelus Giacomelli SSmi Dñi Noſtri Cappellanus Secretus.

IMPRIMATVR,

Fr. Nicolaus Maria Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

Digitized by Google

INDEX SERMONUM.

LIBRI PRIMI

SERMONES.

I.	*De Malis Satyræ.*	Pag. 1.
II.	*De Officiis Adoleſcentium.*	6.
III.	*De Iiſdem.*	12.
IV.	*De Ethica Officiorum Magiſtra.*	16.
V.	*De Officiis Conjugum.*	20.
VI.	*De Officiis Militum.*	25.
VII.	*De Officiis Aulicolarum.*	31.
VIII.	*De Nobilibus Artibus Architecturæ, Picturæ & Sculpturæ.*	40.

LIBRI SECUNDI

SERMONES.

I.	*De Poëſi moderate excolenda.*	45.
II.	*De Mediocritate in omnibus procuranda.*	50.
III.	*De Methodo & Delectu ſtudiorum.*	55.
IV.	*De Perverſitate animi indocilis.*	60.

V. *De*

Digitized by Google

V. *De Inſania amoris.* 64.
VI. *De Neglectu familiæ & rei domeſticæ.* 67.
VII. *De Oſtentatione falſæ ſcientiæ.* 71.
VIII. *De Falſa probitate.* 77.

LIBRI TERTII

SERMONES.

I. *De Laudibus* BENEDICTI XIV. P.O.M. *& de cenſura vitiorum Virtutibus ejus contrariorum.* 83.
II. *De Mala educatione liberorum.* 90.
III. *De Injuſta reprehenſione aliorum.* 97.
IV. *De Rebus geſtis Clementis XII. Pont. Max.* 103.
V. *De Laudibus Arcadiæ & Principis Saxoniæ.* 109.
VI. *De Conſolatione in obitu amici.* 113.
VII. *De Gravi morbo ſingulari arte ſuperato.* 117.
VIII. *De Longo itinere nonnullis periculis obito.* 124.

Primum


Digitized by Google

Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe poëtas,
Excerpam numero; neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis, neque ſiquis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam:
Ingenium cui ſit, cui mens divinior atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.
Q. Horat. l. 1. Sat. 4.

Hunc ſervare modum noſtri novere libelli,
Parcere perſonis, dicere de vitiis.
Mart. l. 10. Epigr. 33.

LIBER

Digitized by Google



LIBER PRIMUS

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

SERMO PRIMUS.

Explicat ſcopum libri ſui. Indicat argumenta ſermonum. Profitetur, ubi reprehendit vitia, nullam ſe habere voluntatem ullius hominis indicandi, aut lædendi. Satyras damnat: unum dumtaxat earum genus licitum eſſe demonſtrat.

NE Te Sermonum, Joseph [a] doctiſſime, nomen
Terreat; hunc titulum miſer incultuſque libellus
Præfert, ſed jaculis incedit nudus & ira.
Dicere de vitiis licet, atque opponere ſeſe
Relligioſum hominem contra decet; at mihi lex eſt
Parcere perſonis nullo violabilis ævo;
Nam labem ſcelus eſt alienæ inſpergere famæ.

A Adde,

a Joſeph Herculanus U. S. R. Secretarius Plumbi, Academiæ Inſcœcundorum Princeps, literis omnibus omnique humanitate ornatus Præſul.

Digitized by Google

Adde, quod e multis, quos omni ex ordine notos
Mi ſecit ratio vitæ, aut occaſio felix,
Nemini ego, ſi non fallor, mihi nemo inimicus.
Cunctis namque fui concors & junctus amore,
Et ſiquem potui, juvi: tamen uſque recepi,
Et fateor, majora datis, animoque per omne
Tempus ero memori: Superi autem in me mala vertant
Omnia, queis alios læſi prudenſque volenſque.
Namque hæc fixa mihi eſt ſententia mente, nocere
Primum ipſi ſibi, deinde aliis, quiſquis nocet. Ergo
Nemo meis timeat quidquam a ſermonibus [a]: ipſam
Horreſcunt umbram Satyræ, & prodeſse laborant
Cunctis, puberibus præſertim; hi ſunt mihi curæ.
Ecquid enim luſtris juvat inſtituiſse duobus
Primam hanc ætatem concluſam parjete ſancto,
Vix male donatam ſi libertate voluptas
Abripit in præceps, & longo tempore cultos
Una dies ſæva percellit grandine fructus?
His timeo; nec enim quam ſint fragileſque, quibuſque
Expoſiti ventis, ignoro. Cum mihi vero
Jam rude donatos noſtra obſervare poteſtas
Nulla ſit, & ſcripto præſtet, quam voce monere,

Quan-

a Sermo ſucceſſit Satyræ, Satyra Comœdiæ, Comœdia Tragœdiæ, quæ omnia inventa ſunt ad perſtringenda hominum vitia. Quum enim apud Græcos lata lex eſſet, ne quis in quemquam expreſſo nomine diceret, aut ſcriberet, quod Tragœdi, & Comœdi faciebant magno publicæ tranquillitatis incommodo, teſte Hor. in Art. Poët. *in vitium libertas excidit & vim Dignam lege regi*: introducti ſunt Satyri, qui tacitis propriis hominum nominibus, eorum mores & vitia traducerent. Quum autem id ſenſim facerent, quam par eſt, licentius ac mordacius, Satyra quoque odio haberi cœpit, utpote *nomen maledicum vitiorum acerbe caſtigativum. Ideo Poeta noſter, ne lectores acerbitate nominis territi aufugiant, maluit ſermones, quam Satyras appellare*; inquit Aſcenſ. in Serm. Horatii explan. ubi ſubdit: *Sermo autem dicitur; eo quod feratur inter duos, aut plures viciſſim loquentes. Tunc enim dicitur ſermo, quando ad præſentes loquimur*. Acron vero hujus nominis cauſam hanc aſſignat: *quia* Horatius *vili potius ſermone, quam tumenti confecit*. Duplici autem hac de cauſa hi Sermones vocantur, cum quod *ad præſentes* habiti ſunt, ſaltem majori ex parte, tum quod *vili ſermone* confecti ſunt. Nemini ergo debent metum ullum, aut ullam maledicentiæ ſuſpicionem injicere.

Digitized by Google

Quantum eſt exiguis in viribus, inque juvandi
Antiquo ſtudio, cuſtodem denique qualis-
Cunque ſit, hoc illis ſtatui donare libello;
Qui ſi non renuent aurem præbere, monebit
Officii quemcunque ſui, ſeu deſtinet ille
Arma ſequi, malit ſeu Palladis alter in arte
Siſtere: ſive togæ vocet hunc illuſtre Latinæ
Munus, ſive illum in fœdus ſociale Hymenæus. [a]
Hæc eſt, inclyte Vir, noſtri farrago libelli,
Si pauca excipias confiċta exempla [b] docendi
Virtutem cauſa, quædam & narrata, mihi quæ
Evenere [c], putem nec amicis noſcere vanum.
  Ergo qui multum me diligis, inque virorum
Illuſtrem admittis cœtum doctamque coronam,
Aurea qui læti veniunt in tecta frequenter, [d]
Et venerantur Herum clarum virtutibus æque &
Artibus ingenuis, atque omni indagine rerum:
Ergo, inquam, quo me vultu dextraque benigna
Excipis, hiſce meum ne dedignere libellum
Excipere: invenies etenim te plurima digna:
Scilicet ore tuo ſapienter dicta, mihique
Lecta velut gemmas, ſed clauſas vile metallo.
Non tamen ex illo, quo fiunt arma: monere
Hoc iterum præſtat: nam ſi certantis ad inſtar
Quandoque exagitor, circum ficta oppida pugno.
Nullus homo eſt Baſſus [e], nullus Sanctonicus [f], aut qui
Nomen habet ſimile: ille eſt puta ſuperbia, falſa hic
Relligio, nemo contra non iret utramque
Armatus, nemo reprehenderet æquus euntem.

a Vid. Sermones libri primi.
b Vid. Sermones lib. 2.
c Vid. Sermones ultimos lib. 3.
d Singulis Mercurii diebus multi illuſtres & docti Viri in ejus palatium conveniunt, ubi erudite & ſapienter de præclaris quibuſque artibus, ut ſeſe offert occaſio, diſputant. Idem fit apud March. Lucatelli veterem auctoris amicum, ſingulis diebus Lunæ, idemque diebus aliis apud alios Illuſtres Viros Urbis.
e Vid. Serm. 3. lib. 3.
f Vid. Serm. 8. lib. 2.

At furor eſt hominem ſignato nomine lingua
Figere, & opprobriis media proſternere arena.
Nam præbent aconitum pro medicamine diræ, [a]
Et vitio majore minus curare laborant.
Quanquam quos homines, quanta virtute & honore
Claros interdum aggrediuntur, & illita felle
Spicula vipereo jaciunt! ſed in axe ſereno
Clara micant, & progrediuntur Sidera, quidquid
Ranæ atro ex limo fœdaque palude coaxent.
Laus eſt magna penes ſapientes, indiciumque
Claræ virtutis ſeſe tollentis in altum,
Invidia & probrum; recidunt, vertuntque profundum
Uulnus in auctorem, cruciantque domeſtica monſtra.
Nam qui carnificem ignoti, reſtimque timendam
Vitant, ſemper habent in amaro pectore teſtem,
Qui cogit ſceleris longas expendere pœnas.
Vidi ego febre ſenem properantem ad limina lethi,
Altum & mœrentem, quod ſemper adeſſet imago
Dirarum [a], quas condiderat juvenilibus annis,
Nec magis admiſſo miſer angebatur ab ullo.
Ecquis enim, lacrimans aiebat, vulnera per me
Inflicta haud paucis curavit? nam maledictis
Nil citius volat, excipiturque libentius; ævo
Scripta manent, unoque oritur numeroſa propago
Nata in perniciem multorum, & plena veneno.
Læſi hos, tutari quos virtus atque poteſtas
Contra debuerat furioſi militis arma.
Hos, inquam, illæſus læſi, ſum aggreſſus & ultro.
Heu quæ me miſerum lacrimæ, quæ vota piabunt
Hoc ſcelere! Hæc contra nitebar, & apta timorem
Pellere, quæ poteram, dicebam; ſed fuit anceps
Exitus, hocque ſuper mihi nunc ſpes plena timore eſt;
Namque ratem a portu novus æſtus agebat in altum.
Hinc

a Videlicet Satyræ.

Hinc ſemper cavi, ſi quem fortaſſe canino
Rictu adoleſcentem novi, ne limen iniret
Pieridum, aut pluſquam verſum unum conderet, huncque
De variis hominum officiis & mutuo amore,
Quo ſeſe amplecti naturæ lex jubet, & quem
Ipſarum edocuit duriſſima corda ferarum.
Non laceratur enim tigris a tigre, urſus ab urſo.
Ergo feris homines pudeat didiciſſe magiſtris.
Quantum his conſilio, quantum ratione ſuperſunt,
Tantum odii præeant, tantum moderamine & iræ.

Permiſſum eſt Satyræ genus unum ſcribere, mentem
Arrigat urtica quiſquis mordetur ab illa.
Namque operis magnum eſt exemplar, & optimus auctor,
Et major Juvenale, auctore & quolibet aureæ
Ætatis [a]: ſtilo hic tenui nitidoque juventæ
Geſta ſuæ ſcripſit. Scripſit ſua furta ſuamque
Perfidiam: ſtultos non diſſimulavit amores,
Non odia & rixas & quæque pudenda patravit.
In ſe ipſum invehitur, fremit, urget, ſe premit unum,
Et ſocios ſcelerum queritur, non indicat ullum.
Auguſtine, ſequi tua ſi veſtigia quiſquam
Audet, & ulciſci ſua coram admiſſa fatendo,
Plaudemus, quod noſtra quoque Heroes ferat ætas,
Et peccati odio ſuperari poſſe pudorem
Nunc quoque demonſtret, vulgi & dicteria vinci.
Quod ſi nemo viget tam forti pectore, [b] ſaltem
Hoc ab eo petimus, ne crimina fingat, iiſque
Uſtulet ora Viris illuſtribus, aut manifeſtet
Clam commiſſa: bonum namque eſt pretioſius auro
Nomen, & integræ ſunt jura ſacerrima famæ.

SER-

a S. Auguſtinus.

b *Ut verecundius de ſe omnes ſcribant neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum, & prætereant, ſi quid reprehendendum eſt. Accedit etiam, ut minor ſit fides, minor authoritas.* Cic. ad Lucej. fam. l. 5. Et Ariſt. apud Laert. lib. 5. cap. 1. *Nemo de ſe debet prædicare vel in laudem, vel in vituperium.*

SERMO SECUNDUS.

Fauſto ingenuo adoleſcenti abſolutis ſtudiis ex collegio diſcedenti dat varia monita.

FAUSTE, mihi a teneris genitor quem credidit annis
Formandum ſtudiis & moribus, hæc quoque dicta
Accipe quondam a te poſcentis plura magiſtri,
Munere nunc ſolum veri fungentis amici.
Tempora prætereunt : nonus jam labitur annus,
Auges quo modicum numerum digniſſimus unus
Noſtrorum juvenum. Jam cunctæ Palladis artes,
Jam rerum ſecreta tibi patuere retecta
Hinc Peripatetica, ſed clarius inde lucerna
Democriti. Tandem quod votis ſæpe petiſti,
Liberioris iter vitæ patuloſque penates
Ingrederis, dominuſque tui rerumque tuarum.
Nil tibi præteritis de moribus objicio, nil
De ſtudiis: etenim præter magnam ingenii vim,
Patria quam virtus dedit & tibi ſidus amicum
Naſcenti, aſſiduum faciliſque volenſque laborem
Palladia nulli cedens in laude tuliſti.
Adde, quod ingenti Divorum munere fictus
Es meliore luto; vidi urbanumque probumque:
Vidi, jam fatear, vultuque habituque modeſtum
Corporis: auctor erat puræ Deus incola mentis
Harum virtutum, ſed cultor ſedulus ille,
Ille, tuo lateri qui affixus qualibet hora
Hæſit nunc triſti, læta nunc fronte monendo

Digitized by Google

Te quid erat dignum vitatu, quidve petitu.
Sed nunc liber abis & noſtra lege ſolutus
In mare præruptum: facili ſine cortice nare
Incipies: age, FAUSTE, manu bene nitere utraque,
Nitere, FAUSTE, utroque pede, omnes exere vires:
Namque altus gurges, quem tranas, ſunt vada multa,
Inque volutata circum furit æſtus arena.
Si rapit abſorptum dubiæ ſemel impetus undæ,
Nequicquam clamabis; eo nam litore rarus
Vir bonus appellit, digitos ſupponere mento
Qui poſſit gelidoque ori, quod plurimus imber
Jam ſubeat; comitum ridebit cetera turba,
Et te forte mori tacitum quis coget. Aquæ fons
Regis in æde fuit, fontis ſed pervius uſus
Omnibus: accedunt æſtumque ſitimque moleſtam
Forte levaturi complures, quos nec honeſtas,
Nec ratio, ſed aquæ conjunxerat una cupido.
Ut grex, quem multo vexavit Sirius igne,
Fontem obſederunt facto velut agmine, turbam
Præter & urgentem, caput uni pondus adauxit,
Labitur & præceps. Riſum per longa volutant
Atria crudeles ſocii, bibit auribus ille,
Naribus ille miſer bibit & clamore dehiſcit
Horrifico. Pranſum regem tunc ſomnus habebat.
Ecce autem minitans reſupino myſtace & haſta
Helvetius laxus braccas, croceuſque ruberque
Apparet, fugiunt riſores, ſolus in unda
Qui ſuperârat, opem poſcit. Quis crederet? olli,
Sponte, inquit lictor, taciturſque illabere fundo,
Aut cogam: domini jubet alta ſilentia ſomnus.
Mergitur infelix, victoque ut ab hoſte rediſſet,
Tranquilla ad valvas accenſus fronte reſedit.
Rides? At caveas aliquo ne tempore de te
Paucis hiſtoriam mutatis fama loquatur,

Exem-

Digitized by Google

Exemploque tuo fieri poſse omnia credas.
Urget præcipitem momento temporis uno
Sæpe bonum comes improbus, exultatque ruina.
  Quos igitur fugias homines ſermone docebo
Te facili atque brevi. Delectant otia multos,
Qui ſola tentant operoſi plurima lingua,
Sive ubi ſolicito potatur calda miniſtro,
Sive ubi denſum humeris cogunt ſpectacula vulgus.
Omnia magnarum norunt ſecreta domorum,
Norunt, quem renuit trepidans Babylonia regem,
Quid Moſchi, quid Thraces agant: tamen ignorant ſe,
Quamque domus fragili ſua ſit tibicine fulta.
Garrulitas ridenda, ſed eſt metuenda, minores
Quæ ferit & magnos nullo diſcrimine lingua.
Quiſquis nunquam habitat ſecum, ſed ſemper ubique eſt,
Fœnum habet in cornu, longe fuge, FAUSTE: dicacis
Fama nocet, nullum ſecretum creditur illi,
Qui plenus rimis ex omni parte fatiſcit.
  Sed non tota mali ſumma eſt in vortice linguæ:
Sunt alii, quibus officiunt magis ocia, quique
In pejora ruunt. Vinum, Venus, alea, morum
Et peſtes aliæ teſtes, quæ conficiunt rem
Quamlibet ingentem quatuor, vel quinque kalendis.
Sed quæ res periit, potis eſt fortuna referre,
Jus habet in corpus nullum. Si decidit ævi
Flos, teriturque vigor vel tota nocte choreas
Quum ducunt, lætumque melos lugente pudore
Solo, vel dubiis cœnis, vel fornice nigro...
O ramoſa lues Muſæ reticenda pudicæ!
Si vigor his, inquam, tentari cœperit, herbas
Fruſtra contundet Glaphyrus, fruſtraque papyrum
Ambiguam inficiet longa ratione Galenus.
Nec data cera Deos, nec picta tabella movebit,
Qui ſæpe indomitam pœna hac fixere juventam.

Novi

Digitized by Google

Novi ego præclara ditique ex ſtirpe creatum
Egregium forma juvenem cunctiſque beatum
Naturæ donis: pater hunc, licet unicus eſſet,
Et matre invita dederat formare ſevero
Nobis imperio: namque ingens ſpiritus olli
Extulerat vanas & avita ſuperbia criſtas.
Impatiens fræni duras traduxit apud nos
Tres, quatuorve hiemes, ut equus, qui carcere clauſus
Plura loco ante fugam veſtigia figit eodem,
Et robuſta premit, mordetque repagula. Tandem
Erupit: finem exſpectas metamque laboris?
Ex thermis Pauli quinto poſt menſe mihi fit
Obvius, apprenditque manum, dicitque ſalutem,
Qua caret ipſe: peto nomen; namque oſſea dextra,
Et turpes macie vultus, oculique madentes
Imbre putri, vox & tuſſi interrupta frequenter
Ignotum mî reddiderant. Multo ora pudore
Suffuſus, veſtris nunquam ô de ſedibus, inquit,
Greſſum amoviſſem. Petimus nocitura, datiſque
Largiter amentes fruimur, lætique venenum
Hauſtu avido bibimus. Nec plura loquutus abivit
Greſſu incerto, obiitque diem vix menſe peracto.
Hoc tibi de folio recitatum crede Sybillæ
Exemplum. Miſeri taceo nomenque genuſque;
Nil prodeſſe tibi, ſed multum cetera poſſunt.
Si noctu vigilare lubet, patet Alpheſiboei [a]
Muſarumque domus: ſi forte pericula mavis
Evitare, parant tenebræ quæ plura per urbem
Noctivagis, pluteumque tuum libroſque recentes,
Quorum non parva eſt tibi copia, conſule ſolus.
Conſule & antiquos, nec profeciſſe putato

B Te

a Nomen Arcadicum Clariſſimi Viri Marii Creſcimbenii, cujus ædes perpetuo literatis omnibus patuerunt. Fuit Generalis Cuſtos, & Pater Arcadiæ. Frater ejus Philippus C.R. Scholar. Piar. floruit & ipſe non mediocri literatura.

Te quidquam, niſi quæ ſunt jacta minoribus annis
Semina virtutum recolas, duruſque labores
Maturam in frugem deducere, quæ niſi canis
Non datur: omnis enim juvenum ſapientia flos eſt
Herbaque [a], quam totam ſiccus depaſcitur annus.
 Sed jam liberius tecum loquar: ingenua non
Contentus forma mihi ſæpe es vergere viſus
In luxum, quanquam ſimulaveris. Indolis hujus
Invenies alios, quorum eſt perfrictus in ore
Jam pudor: hos inter ſi fluxeris, hoc ego de te
Suſpicor, hoc metuo, ne tortis arte capillis
Et gravis unguento, (caput hoc juro, allia mallem
Olfaceres [b]) ſpeculi cenſura comtulus, atque
Ornatus mulier bis captæ more Lacænæ
Occurras quandoque mihi: non larva, nec atri
Me Lemuris facies offendet acerbius. Iſta
Non uno ſervo contenta eſt forma, nec uno
Curru: ſunt Phrygiæ veſtes & galbana raſa
Et gemmæ digitis, & apex quærendus & aurum
Pileolo: bibulæ ſua ſunt munuſcula danda
Albinæ; nec enim caret hoc cacoëthes amore:
Danda eſt & famulis creberrima ſportula avaris,
Ne te abigant: vivunt nam ſæpius ære clientis,
Quam dominæ. Sed qua tibi tanta pecunia vena,
FAUSTE, fluet? Meus, inquis, habet ditiſſimus agri
Quadringenta [c] pater. Brevis eſt & fabula pulchra,
Quæ modo mî ſubiit. Torquebat ſolis ab ortu

Ad

a *Adoleſcentia ſignificat fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, aut percipiendis ſunt accommodata*. Cat. Maj.

b Ejuſmodi objurgatione adoleſcentem unguentis delibutum caſtigatum fuiſſe a Veſpaſiano, ac petitione magiſtratus fruſtratum tradit Suet. in ejus vit. *Nihil enim eſt aut nequius, aut turpius effæminato viro*. Cic. 3. Tuſc.

c *Age dic: dares veniam coquo tuo, ſi quum obſonia plus æquo ſalſa daret, diceret ſibi copiam ſalis eſſe?* Inquiebat Zeno Cittius ad ſimilem reſponſionem Laert. lib. 7. cap. 1.

Quadringenta autem ſeſtertia erant pro-

Ad noctem multam funem poſt terga relictum
Ocnus arundinibus teneris juncoque paluſtri.
Sed quid? ut aſſidui ſtudiumque laborque diei
Ceſsârat, nil funis erat; nam turpis aſellus
Poſt tergum domini tantundem funis edebat,
Averſis oculis quantundem torſerat ille.
Agri dives erat juncique uberrimus Ocnus,
Illi ſed deerat, quo fune ligaret aſellum.
Tu cave, poſt patrem poſt funem tertius unquam
In ſcenam venias, fieres nam fabula tota.
  Plura forent dictis addenda, ſed imminet umbra
Jam major, curruſque vocat, qui te feret Albam,
Placat ubi genios in aprico rure ſoluta
Roma foro & ſtudiis autumno læta reducto.
Innuit impatiens en virga mulio, eundum eſt;
FAUSTE, vale: te forte ſequar vice functus & ipſe
Poſt aliquot ſoles. Jucundæ in collibus Albæ,
Aut in Aricino dicam tibi cetera clivo.
Interea recoles, quæ dixi ſtans pede in uno
Pauca hodie; ſed multa ſatis ſervare volenti.

proventus annuus, ſeu cenſus Dignitatis Equeſtris. Qui enim ad ejuſmodi ſummam perveniſſent Tiberii Neronis edicto inter Equites Romanos numerabantur. Is etiam conſtituit, ne cui jus eſſet geſtandi aurei annuli, & ſedendi in theatro Lege Julia in quatuordecim Ordinibus, niſi cui ingenuo ipſi patre avoque paterno ſeſtertia quadringenta cenſus fuiſſent. Vid. Plin. lib. 33. cap. 2. 400. vero ſeſtertia respondent ſummæ circiter 10000. nummum hodiern. Monet. Rom. Librarum vero Gallicar. circiter 50000.

SERMO TERTIUS.

Pergens Fauſto dare monita, hortatur ad colendam Religionem, deterret ab ambitione, excitat ad ſtudium Juriſprudentiæ, & ad ineundam gratiam Potentiorum, cujus captandæ & conſervandæ modum docet.

SALVE, FAUSTE, iterum: ſpecus hic, niſi fallimur, ille eſt,
Qui dedit Umbricio ſedem, quum feſſus in Urbe
Vivere iter Cumas properaret, remque domumque
Totam una veheret rheda, caroque ſodali
Ultima verba daret [a]. Non eſt Urbs alta Quirini,
Vivis qualis erat Juvenalibus, Umbriciiſque.
Artibus ingenuis locus eſt, ſunt multa laborum
Emolumenta. Thorum quoniam facit herba, fluitque
Hinc fons ingenuo topho (nam marmora priſca
Trivit longa dies) patet inde virentibus agris
Fertilis Ægeriæ vallis, ſedeamus, & audi
Quæ tibi ab incœpto Romæ ſermone ſuperſunt.
Multis Umbricius cauſis, quas triſtis Aquinas
Sæpe tibi attonito numeravit, abibat ab Urbe:
Multis te cauſis hortabor in Urbe morari.
Relligio mores mutavit, & omnia Sancti
Principis exemplo nota & virtute reguntur.
Non impune datum eſt peccare, aut nectere fraudes.
Crede, locus meritis non ullus apertior Urbe
Roma, non ullus Roma eſt doctiſque probiſque
Utilior: quicunque ſacram dicteria in Urbem

Jactat

a Vide Juven. Sat. 3.

Jactat mente furens, aut Romæ non fuit unquam,
Aut admiſit ibi, quibus illam temnit & odit.
Nam peccatur, ubi nebulo coit unus & alter,
Quos ſiquis veniat Cato, triſti diſſipat ore. [a]
Te primo docui ſermone quid evitares;
Attentum hoc breviter, quæ ſint facienda, monebo.
Ordiar a ſacris [b]: namque hinc incœpta petuntur
Quælibet, huc redeunt. Divinis rebus adeſto,
FAUSTE, libens, jugique Deum pietate manuque
Purus adorato: crede hinc fauſtumque futurum
Et felix, animo votum quodcunque movebis.
Fortunæ Deus eſt rector, moderator honorum,
Auctor opum; ſiquis quidquam deſiderat horum,
Huc adeat; vel ſi demens aliunde requiret,
Probrum pro titulis pœnam pro munere poſcet.
Ambitione nihil tenebroſo erupit ab Orco
Turpius in terras, nil ſævius. Illa verendam
Fallit amicitiam, ſocium fœda arte ab honore
Dejicere aggreditur, rapit haud conceſſa favori
Munera, vim tentat, ſancti convellit & æqui
Leges: quid tandem linquit mala peſtis inauſum,
Quæ patre calcato ſolium conſcendere ſuaſit? [c]
Non hac, FAUSTE, via, non his anfractibus ibis
Ad trabeas æque Superis inviſus & imis.
Votis pone modum, de te nil grande tuiſque
Coram aliis narra, tacito nec pectore ſenti.
Sola meret dominos divina modeſtia Faſces,
Solaque contemnit, dura quum ſorte negantur.
De te, quod non ſis evectus honore, queretur

Ne-

a Comœdi neſcio quid turpe populo exhibituri, audito Catonis in theatrum adventu, omnes aufugerunt.

b *Prima officia Diis immortalibus debentur*. Cic. 1. Offic.

c Tullia Ser. Tullii filia, uxor Tarquinii Super. regium ſolium aditura conſpecto in via patris necati cadavere, aurigam ejus reverentia lora retorquentem compulit, ut per medium patris cadaver carpentum ageret.

Digitized by Google

Nemo, ferent omnes, ſi non merearis, acerbe.
De ſtudiis age quod ſupereſt, quodque utile Romæ
Cenſeo præ cunctis. Dat Juſtinianus honores,
Auget opes idem. Jus anceps noſce, & agendis
Cauſis verba para Baldi mentemque profundam.
Jure domus ſua cuique, ſuus ſervatur agellus,
Jure greges, tabulis res jure relicta ſupremis: [a]
Jus ſontes damnat, delatos crimine falſo
Abſolvit, populos pariter regeſque gubernat.
Uno quæque loco, modicis ars quæque tenetur
Limitibus, potis eſt quia duci vita ſine illa:
Omnibus una locis omnique ſcientia juris
Tempore conſulitur: labefactat omiſſa potentes
Urbes, communis vitæ ſacra vincula ſolvit. [b]
Adde, palatinis tibi quod naſcentur in hortis
Forte brevi violæ, quas mite Favonius aura
Nutriet, ut ſancte commiſſas rexeris urbes,
Atque tuis oculis cauſas inſpexeris æquum
Judicium dicturus. Opem dabit unica legum
Norma, fidem nulli potiorem tutus habebis;
Namque carent odio leges, nec amore moventur:
Res & geſta ſacra pendunt in lance, nec aurum
Croeſi, nec vultum formamque Lycoridis ardent.
Sed quoniam novus es, nec ſæva pericula noſti
Incuſtoditæ minitantia ubique juventæ;
Fabor in aure aliquid. Veniet tibi ſiqua Lycoris
Obvia, ſiqua tibi juvenum de more placebit,
Mollibus & verbis ea mollia verba viciſſim
Reddet, & abſentem propter palleſcet uterque:

Heu

a *Nihil eſt in civitate tam diligenter retinendum, quam jus civile. Etenim hoc ſublato nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſſit eſſe, quid ſuum, aut quid alienum ſit.* Cic. pro Cæcin.

b *Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit non modo judiciorum, ſed etiam utilitatis vitæque communis.* Idem ibid.

Heu mihi! de FAUSTO, de jure & legibus actum eſt.
Namque ſolet curas alias ſua cuique Lycoris
Excutere, & dominans ſe ſufficit omnibus unam.[a]
Hos, FAUSTE, occurſus fugies cane pejus & angue:
Illud enim bibitur ſolis quandoque venenum
Luminibus[b], pectuſque ſubit, populatur & artus.
Rectius inviſes Proceres, ſacrique Senatus
Purpureos Patres integræ exempla daturos
Vitæ, & aperturos aditum ſtudiiſque boniſque
Artibus. Horum aliquem totis tibi viribus opta
Fautorem: ſanguis tibi primus honeſtaque forma[c]
Amplum iter expedient, ſanctum & penetrale recludent,
Deinde probi mores, oculi non cuncta videre
Proni, parca manus geſtu, ſermonibus apta
Lingua, tacere potens, donec te juſſerit ille
Reſpondere. Fidem dictis ſervare memento
Perpetuam: tibi non mentiri impune liceret.[d]
Illius arcanum nunquam ſcrutaberis, & ſi
Quod tibi committet, ſecreto in pectore condes.
Non commendabis, niſi quem bene noveris intus,
Quique ſua poſſit vita tua dicta tueri.
Nullius mores, nullius facta reprendes,
Præcipue Procerum. Imberbi cenſore quid uſquam eſt
Intolerabilius? Longo nil tempore poſces,
Nec niſi quum multis adiget te dicere, ſiquid
Sive tuis opus eſt incœptis, ſive tuorum.
Hoc caput eſt: breviter dices, qua parte laboras,
Quaque tibi primum poſſit ſuccurrere verbis:

Ce-

a Nam *furore amoris nihil eſt vehementius*. Auth. quibus modis Nat. effic. leg. §. Novimus.

b *Oculi ſunt tota noſtra luxuria: hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiſcunt*. Quint. in Declam.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error. Virg. Ecl. 8.

c Liberalis facies commendatoria ad nationes omnes Epiſtola. Ex Ariſt. ap. Stob. Serm. 63.

d *Plurimos læſere, peſſum imo dedere mendacia*. Vet. Jamb.

Cetera ſponte feret. Non aulam creber adibis,
Non rarus nimium; hac ratione ignotus & illa
Contemtus fieres. Sed quem video advenientem?
Non fallor, jam noſter adeſt TENCINUS [a], & illum
Umbella noſco rubra rubroque galero
Et veſte & numero ſervorum: huc advenit Alba
Paſſibus incedens lentis; mora nulla, venito,
Occurramus: eo nihil eſt humanius uſquam,
Nil generoſius. Hiſce fides eſt proxima dictis.

SERMO QUARTUS.

Adoleſcentem philoſophicis rebus plus æquo addictum hortatur, ut mentem vertat ad ſalubriorem meditationem.

CARTESI de mente mihi ſententia [b] certa eſt
Exemplo, DIODORE, tuo: nam mens tua ſemper
Cogitat, inque ipſo vigilans fugit otia ſomno.
Nocte dieque ſophos volvis, priſciſque recentes
Componens ſatagis verum reperire: quibuſdam at
In rebus latuit ſemper, ſemperque latebit. [c]
Non mihi ſunt anni Priami, vel Neſtoris, inter
Verſor adhuc quintam decadem, vidique ſophiam
Ter mutare vices. Priſcum ſyſtema receſſit

Adve-

a Eminentiſſimus Cardinalis de Tencin Archiepiſcopus Lugd. Galliar. Primas, Regis Chriſtianiſs. Legatus apud Sanctam Sedem.

b *Cogitatio a me divelli nequit. Si ceſſarem ab omni cogitatione, illico eſſe deſinerem . . . ſum igitur præciſe res cogitans.* Cart. Medit. 2.

c Antiqua eſt querela a Democrito ad nos uſque pervagata, phyſicarum rerum veritatem in puteo truſam deliteſcere.

Adveniente novo, quod erit vetus, ut volet alter
Neuton, vel Lebnitius. Quid id eſt? ſi nil magis unum eſt,
Quam verum, cur multa animos ſententia verſat?
Cur tot tam multis fervent certamina ſeclis?
Ut quo torqueris [a], ſtudium moderatius optes,
Atque ex incertis diſcas emergere, res &
Diſcere vitæ aptas ducendæ, & quærere mores.
Hæc hominem, DIODORE, decet meditatio, verum hæc
Repperit, hæcque potis ſola eſt præſtare beatum. [b]
Utilitatis enim quid habebis, ut omnia nôris
Naturæ ſecreta, atque unus feceris aurum,
Naturæ ſi non Auctorem nôris, eique
Parueris? Quid ſcire juvat num materies ſit
Compoſita ex atomis, aut poſtremo ex elemento,
Si non perpendis dilabi quolibet in te
Momento, celeremque ſuo minitare ruinam
Pondere nil contra Libitinæ tela paranti
Ex virtute, manet quæ ſola in funeris hora?
Immortalem animam centum rationibus, atque
Priſcorum ſenſu ſapientum oſtendere, doctum eſt:
At nil deque domo deque hoſpite ſolicitum eſſe,
Illam qui excipiet digreſſam corpore, ſtultum.
At capit aſtrorum motus, phænomena, vel quæ
Apparent cælo, vel quæ terraque marique,
Explicat, & quales ſint res quantæque minutim
Penſat, & evolvit denſa e caligine cauſas. [c]
Hoc bene, ſi juvenes doctura viam properaret
Ticinum, aut Piſas: ſed magnum portat in æquor
Vaſculum aquæ: nulla eſt quanquam indoctiſſima quondam
Secretas inter mentes a corpore, quæ non

C Præ-

a *Strenua nos exercet inertia .... quod petis hic eſt.* Hor. lib. 1. Ep. 11.

b Id. ep. 3. *Hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus & ampli, Si patriæ volumus, ſi nobis vivere cari.*

c *Virtus, integritas, probitas in homine, non linguæ volubilitas, non ars, non ſcientia requiri ſolet.* Cic. pro Planc.

Præcellat te notitia, primumque ſophorum.
Referet haud igitur num plurima ſciveris, unum hoc
Quæretur, fueritne tibi mens crimine pura.
Notum ibi vel pueris pluſquam experientia monſtrat
Cuiquam doctorum nunc pene magiſtra virorum.
Poſt æs pneumaticum ſiphoneſque, experiundum eſt
Quid noſtris ſolidum ſit rebus, quid diuturnum. [a]
Omnia præcipitum labuntur ad inſtar aquarum.
Sis mihi tu teſtis, ROMA inclyta, nam quod in Urbe
Terrarum domina contingere cernimus, orbis
Sentit idem totus. Mihi non evolvere mens eſt
Secula priſca: etenim ſi quis fortaſſe rediret
Cæſar, ubi ſua tecta, ſuos ubi quæreret hortos,
Balnea, naumachias, turres, templa, amphitheatra?
Rudera nil præter pavidus ſpectaret in Urbe
Non Urbem inveniens, non ſe, non oſſa ſuorum.
Haud ego bis decimo repetam quidquam altius anno.
Imus ubi fuerant ædes, ubi ſunt modo, nuper
Ivimus: huc illuc ſubierunt marmora, turpes
Aſperam ubi lateres faciem oſtendere, platea
Latior hæc, brevior facta illa eſt. Terra lapiſque
Mutatur: quid nos, ſumus heu qui pulvis & umbra!
VERTICE jam quinto ſedet Auguſtiſſima rerum
Inſula, quæ multos pro votis omnibus annos
Inſideat. Procerum quot funera vidimus, atque
Florentum juvenum? nobiſcum quique ſuperſunt
Seclo orti elapſo, quam intra mutantur & extra?
Vix ſanum invenies: dolet hic podagra, dolet ille
Aſthmate, ſurdeſcunt aliqui, multi ſine vitro
Haud noſcunt paſſu diſtantem tertio amicum.
Jam frontem ſulcant rugæ, jam tempora circum
Albeſcunt crines ſiccoque humore recedunt.

Quis

a *Nemini exploratum poteſt eſſe, quomodo habiturum ſit corpus, non dico ad annum, ſed ad veſperum.* Cic. 2. de Finibus.

Quis curas animi quis acumina dixerit, aut quum
Spes urget, timor angit, amor quicunque moleſtus
Exagitat, pendet lis, agris grando minatur,
Subter & uruntur miſeras hypocondria coſtas?
Annos adde decem: noſtrum quot terra recondet,
Vel quot eo ſpatio peplum lugubre notabit?
Omnes ut veſtes veteraſcimus: unus & idem
Ipſe es, magne Pater Superumque hominumque, tui nec
Anni deficient poſt ſecula mille: ruina
Urgetur quidquid non in te nititur uno.
Proxima ſtultitiæ eſt hominum ſapientia, ſoli
Quæ ſatis una ſibi eſt, & nomine gaudet inani.
Qui ſibi multa negat, quorum eſt brevis uſus, & aurem
Præbet conſiliis æquum ſuadentis amici,
Solicitus ne ſe facti ullius atque cupiti
Pœniteat, toti præponimus hunc Peripato.
Hic, Diodore, ſapit, loculos qui pandit egenti,
Divitis a miſero qui vim defendit avari,
Nullum qui lædit, læſus qui parcit, & illam
Non putat illuxiſſe diem ſibi, qua bene non eſt
De populo meritus, nullumque lucratus amicum. [a]
Utilius cauſas meditabere ſerius horum, [b]
Quam fluxumque, ſalemque maris, geneſimque colorum.

a *Non ſibi ſoli ſe natum homo meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, ut perexigua pars illi relinquatur.* Idem ibid.

b Socratis *omnis oratio & in virtute laudanda, & in omnibus hominibus ad virtutis ſtudium cohortandis conſumebatur; perfectum ſibi opus eſſe ratus, ſi quis ſatis eſſet concitatus ſua cohortatione ad ſtudium cognoſcendæ percipiendaque virtutis. Quibus enim id perſuaſum eſſet, ut nihil mallent ſe eſſe, quam bonos viros, iis reliquam facilem eſſe doctrinam.* Deſid. Jacot. de Doctr. Philoſophor. ex Cic.

SERMO QUINTUS.

Viro Patricio gratulatur non quod uxorem duxerit nobilem, pulchram, divitem; ſed quod probam. Eum hortatur ad agenda viro digna, & ad imitanda exempla majorum ſuorum.

IN priſcis ſiquid ſapienter Roma triumphis
Inſtituit, fuit ille, duci qui ſervus ovanti
Adſtabat, monituſque dabat geſtatus eodem
Curru, ne victor ſibi plauderet, & populari
Inflatus nimium fortaſſe dehiſceret aura.[a]
Namque coronati poſtes, denſæque feneſtræ,
Et via tecta croco, & cives e ſedibus omnes
Effuſi celſo ſublimes pegmate, miſti
Vel populo ambiguo clamantes: io triumphe
Certatim, ſonitus fidium clangorque tubarum
Et plauſu & lætis plena omnia vocibus ire
Tranſverſum victorem agerent, facileque caducum
Sinciput afficerent ſubita vertigine, ni quis
Hunc prope mortalis naturæ teſtis adeſſet,
Qui tot læta inter fati meminiſſe doceret.
Adſum ego, MARCELLINE, tibi comes additus unus
Tot laudatores inter, qui certa monere
Ordiar, & prono populo contrarius ibo.
Inſtar enim victoris ovas, veheriſque per urbem

Aura-

a Imperatori triumphanti adſtabat ſervus auream coronam geſtans imminentem capiti victoris; quod ſic Juven. explicat Sat. 10.

Quippe tenet ſudans hanc publicus; & ſibi Conſul
Ne plaudat, curru ſervus portatur eodem.

Aurato curru, vehitur LUCRETIA [a] tecum,
Voſque omnis tectis & agris effuſa juventus
Turbaque miratur matrum: vos verſibus aſtra
Incomtis tollunt pueri ſuper, atque puellæ:
O digno conjuncta viro pulcherrima conjux! [b]
O par, cui nullum Venus æquum junxit, & in quo
Regna Cupido tenet, tota & vis fervet amoris!
O.. ſed ego medius cœptos abrumpo triumphos:
Nam pars una chori jure atque ex ordine canto,
Non quæ qualiſcunque mihi dictavit Apollo:
Omnia namque novis ſolet indulgere maritis
Ductus adulator, nec veris gaudia falſa
Secernit, vitiis metuit nec prodere laudes.
Me culpabit Hymen, ſolos qui admittit amores,
Qui luſuſque jocoſque procax & libera verba
Et Feſcenninos [c] in connubialia feſta.
Quid mihi cum nato Veneris Bacchique remoto
Longe homini ſacris ab talibus? Ille juventæ
Sola voluptatis dulciſſima pocula præbet,
Ille ſuis facibus flammas ſuccendit in unum
Corpus in ardenteſque genas oculoſque micantes:
Quid multa? inſanit. Nil mirum: nam quid amaret,
Ni quod eum a puero fœdi docuere parentes?
Non ita formabis, dederint quam Dj tibi prolem,
MARCELLINE, tibi tua nec LUCRETIA ſolam
Ob faciem, ob nigros oculos, ob labra placebit
Purpurea: heu! veluti flos decidet iſta venuſtas:
Vultum ruga brevi, frontemque ſenilis arabit,
Et tua quanquam aderit, ſit ubi LUCRETIA quæres,
Quæ-

a Nomen uxoris.

b Talis eſt, qualem optat Juv. Sat. 6.
Sit formoſa, decens, dives, fœcunda, vetuſtos
Porticibus diſponat avos, intactior omni
Crinibus effuſis bellum dirimente Sabina.

c Feſcennini verſus dicti a Feſcennia urbe Etruriæ, vulgo Galleſe, ut putant, cantari ſoliti in nuptiis, pleni erant omni obſcœnitate & probro.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quæret idem de te, & mirabitur illa viciſſim.
Non igitur quod ſponſa pari formoſa marito
Nupſerit, aut grandi faciat te dote beatum
Judicio vulgi: non quod gradiatur amicta
Ornatus Argivæ Helenæ, collumque manuſque
Sidera gemmarum vario ſplendore laceſſat,
Vel quod ab Aſſaraco genus aut Antenore ducat,
Gratulor: hæc ſiquidem bona ſunt communia multis,
Queis animi dotes deſunt moreſque pudici.
Immo Threjicio quæ Creſſa puella tyranno
Nubit, habet pretioſa magis melioraque, ſive
Naturam ſpectes, nam lecta e millibus una eſt;
Seu fortunam, auro nam Ganges ditat, Erythra
Gemmis & Xanthus Phrygianis veſtibus: ultra
Nil habet, immo mali, quam dos, eſt portio major:
Quippe viro mala ſponſa malo datur, unde propago
Deterior veniet. Sed abibam longius, ad te
Jam redeo, lætorque, novelle marite, quod uxor
Orta domo magna, non ulli dote ſecunda,
Non ulli forma tibi ceſſerit: hæc tamen aucta
Tantis muneribus nullo ſit turgida faſtu,
Nullis fortunæ illecebris ſit capta, nec auſa
Quidquam horum, peccant quæ magni ſæpe penates.
Quin ea divitias, formam, genus, & quod amare
Sueſcimus inſani multaque extollere laude,
Deſpicit, una animi reputans bona, dotis & inſtar
Virtutem oſtentans ſolam, referenſque parentem
Moribus innocuis utrumque diſertius, ipſa
Quam voce, inceſſu, præſtantis imagine formæ.
Artes edidicit tenues monſtrante ſevera
Matre, omnes arcente ſeris & vecte cinædos.
Illa ſuas molli veſtes intexuit auro,
Pinxit acu pallam, capitis redimicula nevit
Fila manu ducens ſubtilius arte Batava.

Artem

Artem at longe omnem divina modeſtia vincit.
  Vive tui, ſponſe o felix, ſecurus amoris;
Non hæc ornando capiti cirriſque ligandis
A quarta octavam famulas adhibebit ad horam,
Non hæc, moris ut eſt hodie, longa otia ducet
Inter amatores oculis ſubducta mariti: [a]
Namque ubi ſunt hodie priſci connubia ſecli,
Cumque pudore fides ſacri & reverentia nodi?
At tua ſemper erit tecum LUCRETIA, vel cum
Diſcedes peregre, te corde animoque ſequetur
Clauſa domi famulas inter, nunc penſa operamque
Diſtribuens, nunc thure lares genioſque vaporans,
Atque manus puras tollens felice mariti
Pro reditu, paribus quem votis ambo petetis.
Juſſa dabis, conjux lætiſſima juſſa faceſſet,
Nilque vetabis, opus niſi quod moderatius & rem
Curet utramque, poteſt ſi res non una videri
Horum, quos animus regit unus & una voluntas.
  Præerit illa domi; tu publica munera obibis,
Conſilioque reges urbem, patribuſque præibis
Forti animo ſuadens leges ſerventur ut æqui,
Ut bona contineat pax & concordia cives,
Pareat & duro repreſſa licentia fræno.
Nam quibus aſſueſti juvenilibus artibus, enſe
Ludrica vel tentans certamina, vel pede terram
Pulſans, atque viam faciens ſine termino, agenſve
Aut Davum aut Pyrrhum toto plaudente theatro:
His, inquam nugis vale dic, jocularia & iſta
Grandior abjicias: etenim quod comicus & quod
Saltator faciunt, vel quod mirmillo mariti
Non ſunt patricii dignum decus. Haud niſi raro
Utere; nempe domi quum res tibi facta forique,

Quum

a Cum hujuſmodi forte uxore dicebat Hipponax, *duos dies eſſe jucundiſſimos: alterum, quo ducitur, alterum, quo efferatur*. Apud Stob. Serm. 68.

Quum fuerit conſultum agris pecudumque magiſtris,
Aut curis ſolves animum ſtudiiſque ſeveris. [a]

Ne longum faciam, majorum exempla tuorum
Conſule: nam pictos horum longo ordine vultus
Aſpicis, & tecum muto licet ore loquentes
Hortanteſque ſequi, vel quos in rebus agendis
Rexit conſilium rara & ſapientia, vel quos
Juvit naturam cauſaſque inquirere rerum.
Hi MARCELLINÆ gentis nomenque decuſque
Excoluere, tuum facturi hac lege, propages
Ut famam geſtis, moreſque imiteris avorum. [b]
Hoc age, MARCELLINE, viam virtutis apertam
Corripe: jam faciet pulchra te prole parentem,
Deque ſuis addet LUCRETIA moribus, & vos
Et veſtros natos ſimiles utrique parenti
Agnoſcentque ſuos atavi, ſerique nepotes
Nati ad virtutem veſtigia veſtra ſequentur.

SER-

a *Ludo & joco uti quidem licet, ſed ſicut ſomno & quietibus, ceteriſque quum gravibus ſeriiſque rebus ſatisfecerimus.* Cic. 1. Offic.

Nec luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum. Hor. lib. 1. ep. 14.

b *Cur Allobrogicis & magna gaudeat ara*
Natus in Herculeo Fabius lare, ſi cupidus, ſi
Vanus & Euganea quantumvis mollior agna,
Si tenerum attritus Catinenſi pumice lumbum
Squalentes traducit avos, emtorque veneni
Frangenda miſeram funeſtat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque unica virtus...
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguæ ſiquando citabere teſtis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas. Juven. Sat. 8.

Digitized by Google

SERMO SEXTUS.

Adoleſcenti Militiam adire cupienti exponit belli incommoda. Ne vero minus æque ſentire videatur de arte nobiliſſima, ſubdit ejus decus & emolumenta.

VESTES urbanas pertœſus & otia pacis
Ad Martemque ſagumque ruis, MARCELLE, nec audis
Conſilium timidæ matris, nec vota puellæ
Nobilis & pulchræ, qua te cupit illa morari
Conjugium objiciens properanti. Tertius adſum
Hinc harum lacrimis accitus & inde rogatu
Sæpe tuo, tanquam gravis hæc me judice cauſa
Sit dirimenda. Foret mihi ſi res integra, nec te
Ad bellum hortarer, nec acerbum matris inirem
Conſilium. Quid enim juveni ſit durius uſquam
Connubiale jugo? [a] Vitæ cum matre per annos
Pluſve minuſve decem ducendæ commodus eſſem
Suaſor utrique: nurum nam tardius illa volentem
Imperitare [b], domum conduceret, ipſe periclis
Liber ab innumeris tacite fieres vir, & aptus
Duro oneri prolis formandæ moribus, atque
Rite domus moderandæ. Iſtæc ſententia ſi te

a Plato l. 4. de leg. cenſet uxorem non ducendam ante trigeſimum annum. Ariſt. 5. Polit. c. 16. non ante trigeſimum ſextum. Ea quippe ætate & corpus robuſtius eſt & conſtantior animus aptiorque ad familiam adminiſtrandam. Quod ſi juniores ſæva illa Veneris urtica momorderit, nullum mea ſententia ſalubrius remedium, quantum fieri poteſt inter pares, celeri conjugio.

b *Antiquum poetam audivi ſcripſiſſe in tragœdia,*
Mulieres duas pejores eſſe, quam unam. Plaut. in Curcul.
Uno animo omnes ſocrus oderunt nurus. Terent. in Hecyr.

Commovit, verbum non amplius addo. Sed horrens
Te Bellona vocat: noſco vultumque oculoſque:
Nam nutas, voceſque alias non percipis æquus.
  I quo cœpiſti pede: demum non ita peſſum
Bellatoribus omnia eunt, ut eos quoque nisu
Matrum nos lacrimis, nos & complexibus arctis
Diſtineamus. Agros colit hic, nemus ille pererrat
Venator, multi cumulata mercibus æquor
Nave ſecant, multi variis ſeſe artibus ortu
Præclari licet exercent: ſed maxima turba eſt
Nobilium nata omnigenos haurire liquores,
Ludere, græcari large, dormire profundum,
Nil urbi præter numerum addere, demere fruges
Humano generi. Poſtremos odit & horret
Mater amans operum, primos non approbat. Ergo
Quid ſupereſt, quod agas? ſoli ſervire Minervæ
Non vis, nec mutos ævum inter ducere libros.
Macte animo, MARCELLE, bonas tibi ſuggerit artes
Mavors: miles eris, non qualis Homericus ille,
Uno qui cecidit pugno, terramque momordit:
Nec qualis Plautinus erat, quem riſimus ambo
Altum in Phylacidæ [a] denſo doctoque theatro,
Dum rueret, tereret, diſperderet omnia verbis. [b]
  Miles eris, bellumque tibi prius hoſte movebis
Quolibet: eſt nam te tibi nemo infenſior ipſo.
Arma modumque dabit vincendi bellicus ardor:
Nam fauces veteri ſolitus recreare Falerno,
Placabis quandoque ſitim vel flumine vivo,
Vel, ſtomachum cohibe, viridi ſpiſſaque lacuna.

Mol-

a Nomen Arcad. clariſs. viri Franciſci Laurentini Generalis Cuſtodis Arcadiæ, cujus voce ac præceptis formati egregii adoleſcentes Plautinas comœdias ſolent docte naviterque agere omnium doctorum virorum ac procerum concurſu & plauſu.

b Vid. apud Plaut. Militem glorioſum, cujus machæra
  .... *miſere geſtit fartum facere ex hoſtibus*. in Prol.

Mollibus in plumis longo das lumina ſomno:
Is ſed erit brevior, quum laſſus in aſſere duro
Procumbes, gravido nutans aut vertice circum
Terga fugacis equi vice lecti mollis habebis.
Dulciſonos calamoſque lyraſque in tympana rauca
Terribileſque tubas mutabis: ahenea pulchris
Induces facili pro murice tegmina membris.
Multa feres facieſque, gelu patieris & æſtum,
Nec queſtus lacrimaſve ſines erumpere, quod Mars
Longis exciperet ſannis altoque cachinno.
Denique naturæ votis contrarius ibis:
Namque aliter non fit miles, MARCELLE, nec arma
Qui ſe non vicit, feret uſquam victor in hoſtem.
 Altera militiæ lex eſt, quam non violare
Bis licet [a]: hanc imis ante omnia fige medullis.
Parendum eſt ducis imperio quæcunque jubentis,
Aut amnis reperire vadum, aut tranſire natatu,
Aut penetrare hoſtis latebras, aut fallere ſilva.
Nunc primum hoſtilem per apertum invadere murum
Urbem, nunc agmen poſtremum claudere, contra
Tutarique ſequentem hoſtem, nunc pulvere cœco
Surgit ubi nubes & denſa cadavera plumbi
Fulmen ſternit, eo ruere atque laceſſere mortem.
 Hæc metuam? capitis mihi in urbe pericula centum
Occurrunt paria, objecto terrore minora,
Damno eadem. Nam quid mors iſtæc diſtat ab illa?
Num minus hic, dubia qui cœna crudus obivit, [b]

 Pu-

a *In bello errare bis non licet.* Ex adag. Nam capitalis eſt quælibet in ducem contumacia.

b .... *tremor inter vina ſubit, calidumque trientem*
Excutit e manibus, dentes crepuere retecti.
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto craſſiſque litatus amomis
In portam rigidos calces exponit. Perſ. Sat. 3.

Putreſcit, quam qui tormenti glande petitus
Extemplo riguit? num qui vino vel amore
Fervidus [a] aſcivit ſibi dirum in pectore vulnus,
Procumbit melius, quam qui mucrone vel haſta
Pro rege aut patria certans definiit ævum?
Cauſa necis laude hunc decorat, probro afficit illum.
Confirmas igitur quo me terrere laboras.

Macte animo, juvenis generoſe, haud te moror ultra.
Imo gradum ut citius moveas, poſt aſpera dura
Omnia felicis tibi jam clariſſima dicam
Prœmia militiæ. Quacunque ex ſtirpe creatus
Induit ut ſagulum, genus exuit, atque aliquo eſſe
Incipit in numero: vallum non litigat extra,
Nec procul a caſtris: fit liber, & omnibus idem
Aut ultro colitur, caſtrenſi aut veſte timetur.
Nam ſit militibus quæcunque injuria, regem
Lædit, & ultrices ciet omni ex parte cohortes.
Urbe autem capta ſigniſque ex hoſte relatis
Victor ut exultat, prædam dum vectat, opimas
Et legit exuvias! illi par nulla voluptas.

Perge age jam mihi dic forti quis milite honoris
Plus habet & lucri? nulla eſt domus ampla nec ullum
Nobile ubique genus, cui non ſua Stemmata [b] primus
Indiderit miles factis umbone notato
Clarus & induperatori delectus ad omne

Diſ-

a Periculoſam juvenis indolem deſcriptam habes uno verſu ab Hor. l. 1. epiſt. 1.

Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator.

Sed *Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,*
Si modo culturæ patientem præbeat aurem. Ibid.

b *Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,*
Captivi pendent currus curvæque ſecures,
Et criſta capitum & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque clypeique ereptaque roſtra carinis. Virg. 7. Æn.

Hinc originem habuere Stemmata Nobilium, *quibus multo plus affert dignitatis res militaris, quam juris civilis gloria.* Cic. pro Muræn.

Diſcrimen belli. Quis agros atque oppida magnis
Obtinuit titulis, quæ non & baltheus unctæ
Vel caligæ dederint? Bello ingens copia rerum
Nobilitaſque venit. Tibi non aliunde vetuſta
Fulget origo, tuis nec tanta aceſſio facta eſt
Rebus: utrumque atavis ſervare & reddere debes
Auctum poſtgenitis. Laus eſt exordia parvis
Ducere principiis. Partes ne poſce tribuni
Primo aditu, meritis nec præmia quære priora.
Olim tyro fuit Pompej victor [a], & orbis
Terror Alexander; nodoſam vertice vitem
Et Marius fregit, quum pigra caſtra dolabra
Lentus muniret. Sed priſca hæc fulmina belli
Prætereo: Moſchos [b] qui noſtra ætate ab agreſti
Uſu & more rudi claras traduxit ad artes,
Armis & noſtris docuit certare modoque:
Ignotus princeps didicit navale Batavo
Fabrorum in numero duras agitare ſecures
Et terebras, pinis acta teſtudine coſtas
Innectens, ſternenſque humili tabulata carina:
Nec puduit juvenem pedites numerarier inter,
Et foſſas aperire, & tympana tundere buxo.
Non hos tyrones, MARCELLE, Gradivus inani
Spe paſcit; primi venient ad munera pili,
Atque olim tenſa conducent agmina dextra.
Diſce ubi vel denſare manum, vel tendere cornu
Res poſcat, rurſum vel flectere; quæ juga turmæ
Utilius teneant, quæ valles, quo ſtatuenda
Caſtra loco, qua parte dolos fugiaſve ſtruaſve.
Diſce quid addiderint antiquo tempora bello

No-

---

a Julius Cæſar.

b Petrus Alexiovitz dux Moſcorum par antiquis ac fortiſſimis quibuſque Imperatoribus. Vid. ejus vit. in hiſt. Acad. Reg. Scient. an. 1725. pag. 141. edit. Amſtelod.

Noſtra, quid abſtulerint [a]. Nam propugnacula & arma
Olim poſcebant majori robore membra,
Majori nunc vi poſcunt & acumine mentem.
Eminus hic etenim pugnatur, cominus illic.
Natura haud modico tibi robore membra creavit;
Ornavitque animum meliori munere, magno
Ingenio [b], quo qui non pollet, inutilis arma
Induit ad lixas mittendus onuſtaque plauſtra.
Eſt alias inter ars belli longa; Vegetj [c]
Noſtrorumque frequens præclara volumina verſa:
Pugna ſed diſces plus libris omnibus una. [d]

SER-

a Inventio pulveris pyrii & bellicorum tormentorum artem militarem valde immutavit, ut legentibus vitam v. g. C. Cæſaris & Ludovici Magni patet.

b *Illud ingenii magni eſt præcipere cogitatione futura, & aliquando ante conſtituere, quid accidere poſſit in utramque partem, & quid agendum ſit, quum quid evenerit: nec committere aliquid, ut aliquando dicendum ſit:* non putâram. *Hæc ſunt opera magni animi & excelſi & prudentia conſilioque fidentis. Temere autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam & belluarum ſimile eſt: ſed quum tempus neceſſitaſque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſervituti turpitudinique anteponenda.* Cic. 1. Offic.

c Lege Vegetium ſatis purum & elegantem auctorem veteris rei bellicæ: recentioris vero Errardum, Stevinum, Dogenium, Sardum, Marchium, Davillæum &c. in quibus artis militaris ſtudioſus nihil deſideret.

d Irridet eos Hor. qui ſe artem aliquam ſcire putant ſine praxi & exercitatione.

. . . . Sapiens crepidas ſibi nunquam
Nec ſoleas fecit: ſutor tamen eſt ſapiens: quo?
Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus eſt modulator, ut Alfenus vafer omni
Abjecto inſtrumento artis, clauſaque taberna
Sutor erat: ſapiens operis ſic optimus omnis
Eſt opifex, ſic rex ſolus. Vellunt tibi barbam
Laſcivi pueri &c. l. 1. Sat. 3.

Digitized by Google

SERMO SEPTIMUS.

Narciſſum Aulæ famulatu initiatum hortatur, ut vana ornamenta deponat. Oſtendit præter virtutes alias in Aula maxime neceſſariam eſſe patientiam. Studia & mores Aulicolarum deſcribit.

POSTQUAM quid faceres hæſiſti tempore longo,
Aulicola es tandem, NARCISSE: recenter ab ore
Barba revulſa, comæ cincinno & pulvere multo
Comtulæ, in obſequiis pronum caput, & pede dextro
Urbane cedente retro, manus utraque blando
Ori admota, dein nobis porrecta beatis,
Et veſtis, qualem Ganymedes geſſit, & aurea
Pyxis Havanenſi folio, vel cornea cæpa
Farta Argentoratenſi, & glans balſamo Etruſco
Una, alia Hungaricæ Reginæ plena liquore,
Horarumque index rutilans, pictumque flabellum,
Et reliqua, incedit qua vix Urania pompa, [a]
Declarantque novum vitæ genus, & quod adiſti
Urbanum munus. Sed ſi, NARCISSE, tuliſti
Ambiguam præter nihil iſta crepundia in Aulam,
Non tibi pro votis res cedet, eriſque, quod olim
Illa fuit cornix, cui cum ſorderet amictus
Ater, & horrentes rugoſo in corpore plumæ,
Collegit plumas alias virideſque rubraſque
Et flavas glaucaſque, caput tum verſicolore

Criſta

a Quum adoleſcens quidam comtior, ut Narciſſus hic noſter, Diogeni propoſuiſſet quæſtiunculam, *Dic tu mihi prius,* inquit, *utrum ſis maſculus, an fœmina*. Laert. l. 6.

Criſta exornavit, ſtellato & ſyrmate caudam
Pavonum in morem produxit, & addidit alis
Eoæ volucris ſpolia, & ſe denique forma
Alitis ignotæ ſpectandam præbuit amplo
Concilio volucrum. Primo eſt mirata caterva
Prodigioſum animal non ullo tempore viſum.
Sed mox quum rauca cornicula voce ſalutem
Dixit, aves fraudem novere, & pſittacus alas
Vellere, & auratam pavo diſcerpere caudam,
Et reliquæ corpus nudare. Venuſta aliena
Veſte odium movit, propria turpiſſima riſum.
  Quæ, NARCISSE, geris, tua non ſunt, vel potius tu
Non es, quæ geris. Ex alieno carpere laudem
Atque tumere, injuſtum eſt inſanumque. Quis ergo es
Detractis ſpoliis quærendum eſt atque putandum.
Servitio Procerum nitidos ſectaris honores,
Magnorumque requiris opem validumque favorem.
Conſilium non damno, rear licet eſſe latentem
In patriis laribus, privata aut qualibet æde
Tranquillum tutumque magis, quam trudere ſe ſe
Turbam hominum in mediam, crebro quos æſtuat inter
Invidia, ambitio, inſatiabilis ardor habendi.
Perge tamen, ſed non tibi ſit grave pauca monentem
Auſcultare. Meis nec enim ſermonibus aures
Nunc primum præbes: docui nam ſemina rerum
Te, ſparſique levi, ceu ſpargor & ipſe farina
Horum, inter cives quæ monſtrant ducere vitam.
  Rides, quum noſter tibi Glabro ſit obvius, ille
Aulicola a puero Glabro, cui terga flagellat
Fictitiæ pars una comæ, pars altera pectus,
Utraque non molli non criſpo facta capillo,
Sed rigido & recto, caudæque ſimillima equinæ,
Rara pilis, unum bis pectine tacta per annum,
Crinibus Anchiſæ conſuta, aut Neſtoris: ala

Im-

Imminet occipiti, claretque foramine multo
Pileus, & noſtro non multum diſpare forma.
Ad decus accedit capitis de gutture linum
Pendens & bifidum, nigrum quod longior uſus
Fecit, & e gelido creberrima guttula naſo.
Adde manus lotas ſolis quandoque Kalendis,
Et cœnum, veteri quod craſſius hæſit alutæ,
Et plenas olido manicaſque ſinumque tabaccho.

Heus apage; hæc etenim movit mihi nauſeam imago.
Cauponæ melius, quam Glabro ſerviat aulæ,
Inquis. At extremum Glabro luridus occupat unum,
Tu, NARCISSE, aliud. [a] Cauponæ convenit ille,
Tu ſcenæ: nam utrumque nitens mediocriter Aula
Reſpuit, hunc propter ſordes, te propter odores.
Neuter captabit fortunæ munera: nam ſit
Quamvis capta oculis, naſo bene pollet acuto.
Hunc igitur propera muliebrem ponere mundum,
Orna animum virtute, & corpus veſte virili,
Inde aliquid ſpera. Sed qua virtute, requiris..
Dictis adde meis animum. Patientia primum
Eſt opus Aulicolis, magna hinc patientia, demum
Aulicolis opus eſt patientia maxima [b]. Noli ut
Verboſum ridere nimis: nihil eſt pleonaſmi
Hoc ſermone: imo hac nunc es formandus in arte,
Et debes audire iterum. Patientia primum
Eſt tibi opus, dominum ſeu ſpectas, ſive ſodales.
Pharmacon hoc ſummo cape mane, hoc veſpere ſero.

Viſne, ut agas melius perſonam, hic experiamur?
Heus, NARCISSE. Vocat dominus, fuge, curre. Volaſti
Quamlibet, argueris nimis eſſe moratus. At hoc, quod
Impero, fac citius. Rurſum curriſque faciſque,

E Len-

a *Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt*. Hor. l. I. Sat. 2.

b Aulicola interrogatus quomodo in Aula profeciſſet, reſpondit: *Injurias accipiendo, & gratias agendo*. Sen.

Lentus es uſque tamen. NARCISSE, venito. Tuliſti
Factum opus. At quid id eſt operis? nihil hoc facit ad rem,
Vecors, in pedibus caput eſt tibi: te meliorem
Perge, voca; primus quicunque occurrerit, ille eſt.
NARCISSE. En revocat. Soſio quid pronus in aurem
Dixiſti? fateare: ſcio namque omnia. Forte ut
Dicere cœpiſti cauſam, tibi terga repente
Vertit, & abrupto ſermone minatur. Ad iſtæc
Muſſaſti? periiſſe puta: ſcit enim omnia, & ultra.
NARCISSE. Ecce quater media te jam vocat hora:
Ne ſcapulis, ne fronte cave teſteris, amaro
Siquid habes animo, nam trabs parieſque loquuntur,
Et tabulæ & ſtatuæ: mutum preme corde dolorem,
Ique libens; ſemper lætos oſtendito vultus,
Dicito verba favis mage dulcia, poſcito magnam
Erratis minimis veniam, ſis denique ad omne
Imperium domini facilis, velut igne propinqua
Cera premi in cunctas, vertique parata figuras:
Nam non vitares funeſta pericula vitrum.

At meus, inquis, herus non eſt his moribus: illo
Nobilius nihil eſt, nihil eſt humanius uſquam.
Donat ſæpe, jubet raro, cum nemine quidquam
Conqueritur; mihi quin oculo connivet amico,
Meque amat ante alios. Tibi cetera gratulor, ævum
Nam priſcum tales dominos vix protulit: aſt hoc
Poſtremum, NARCISSE, fides ſi certa fatenti eſt,
Non bene vertet. Heri primum teſtantur amorem,
Blanditias adhibent, dextra amplectuntur amica,
Ut ſenſim explorent animum moreſque ſuorum:
Deinde iſta ſiquid patet arte, quod ante latebat,
Illico friget amor, mellitis aſpera verba
Succedunt, veræ & fictis amplexibus iræ.
Anne aliquid latitat, cujus te forte puderet,
Si notum fieret? veteri es bene notus amico:

Verum

Digitized by Google

Verum audi ſolus. Ludis, NARCISSE, bibiſque,
Cetera ſcit quædam Phyllis, niſi nomine fallor,
Quam ſæpe inviſis, cui donas munera, propter
Quam tabeſcis. Ab hoc, fumi nihil igne vereris
Effluat ad dominum? luſor, potator, amator
Non poteris latuiſſe diu. At ludoque meroque
Jam dudum abſtineo, nec certos exeo fines,
Aut in utroque modum: virtutem Phyllidis ipſa
Phyllide amo magis, atque ideo ſine Phyllide poſſum
Vivere: quod rarum eſt noſtram inter conditionem.
Qua mî igitur culpa dominus ſuccenſeat? Ipſa hac,
Quod culpa caruiſſe putas: nam cauſa querendi eſt
Semper in arbitrio domini; reus eſt, domino qui
Non ſubito conſentit. Aget, quod forte laboret
Mutare, & facti recidat ne dedecus in ſe,
In te ipſum vertet [a]; quia peccat nemo potentum.
Ecquid ages, diceſve alieno errore gravatus,
Qui neſcis, NARCISSE, tuos, renuiſque moneri?
Hic labor, at muto quantuslibet ore ferendus.

Hoc quoque finge animo, quod magnis ſemper in Aulis
Evenit. Aſſiduus noctuque diuque ſecundo
Conclavi ſtabis, dominoque fideliter annis
Pluribus auſcultabis anhelans muneris hujus,
Alteriuſve vices. Veniet te junior alter,
Imberbis, ſciolus, ſibi fidentiſſimus, atque
Omnitenens, primoque loco ſtatuetur, & illi
NARCISSUS plenus meritis caniſque capillis
Serviet. O miſerum, nitida qui fidit in Aula!
O tormentum ingens, ſævum, crudele! dolebis,
Nec lamentari, tua nec producere jura
Fas erit: imo ſenex truderis ineptus in ædem
Aulicolis miſeris erectam in fine Suburræ, [b]

[a] *Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi*. Hor. l. 1. ep. 2.

[b] Ad templum Sancti Laurentii in Fonte.

Si nihil in ſeros loculis ſervaveris annos.
Hocne ſapit ſtomacho ? tamen eſt glutire neceſſe.
Sunt hodie, NARCISSE, ſenes rerum omnium egeni,
Queis hilaris nupſit prima fortuna juventa,
Quique potentis heri fuerant amor, atque voluptas.
Sic olim tumuit quadrupes phaleratus, & aurea
Mandit fræna, trahit nunc trito epirhedia collo.
Sed de cirratis jam ſermo ſodalibus eſto:
Hinc etenim pariter tibi multa ferenda ſuperſunt.
Ergo tibi, NARCISSE, oculo connivet amico,
Teque amat ante alios dominus. Seges iſta futura eſt
Rixarum fœcunda: movet nam filius albæ
Gallinæ invidiam, movet hæc terramque erebumque,
Ne fortuna diu tibi rideat: utque pudendum
Per latebras ſerpat vitium, primum eſſe ſuſurrant
Te delatorem: frontem tibi nemo ſerenam
Oſtendit, præſente ſilent te protinus omnes.
Hic nixus cubito dormit, fœde ille lacertos
Tendit hians, abeunt alii, duo crebra viciſſim
Verba ferunt timidi, tendas ne proximus aures.
Peſte laborantem certatim arcere videntur.
Os aperis, alius te ſcommate figit aperto,
Tecto alius jaculo mage vulnerat. Ilia bilis
Si tibi movit, & incendit color igneus ora,
Rident, jucundam gaudentque reponere ſcenam.
Objurgas, centena tibi vox obſtrepit auri
Acrior; haud aliter quam quum latrat icta lyciſca,
Undique concurrunt hirti, allatrantque moloſſi,
Mordentque, & præſtat cauſam perdendo paciſci.
Nam ſi cum domino quereris, poſciſque nocentes
Ad pœnam, hunc circum cuncti velut agmine facto
Te contra pugnant, & veris falſa remiſcent,
Donec ſuſpicio de te gravis inſidet illi,
Quamque merent ipſi, tu pœna dignus haberis.

I nunc,

I nunc, & ſodes aliorum nomina deſer.
Nil, miſer, ergo tibi ſupereſt, niſi probra ſupino
Ore bibas, cruduſque imo ſub pectore condas.
  Ingenui ſed non, inquis, tam turpia miſcent
Jurgia; diſceptant civiliter, & ſimulare
Conſilium vultu noverunt. Hinc quoque ne te
Non facile expedias, vereor: nam liber & ultro
Candidus es, proprio res & cognomine dicis.
Vecordem dicis vecordem, fallere ſuetum
Dicis mendacem, gibbum, luſcumque, glabrumque,
Quisquis ut eſt, quemcunque vocas. Non utitur Aula hac
Nomenclatura; ſilet, aut virtutis amictu
Abſcondit vitium. Vecordem, fallere ſuetum,
Prudentem dicit, cautumque, & monſtra puſillis
Indigitat nævis [a]. Sed adhuc enormius erras.
Care, tibi quisquis dixit, dextramque prehendit;
Exultas, olim Pylades ut nactus Oreſtem:
Pandis ei ſubito ſecreta, omnique doces de
Vita, de ſtudiis, fidibuſque armiſque, præiſti
Queis omnes ſocios, æquaviſtique magiſtros.
  Quas tribuis laudes tibi, libertaſque loquendi
Diſſidium parient pluſquam civile: vocabit
Te quis Ariſtotelem, quis Ariona, vel quis Achillem.
Nobiliora hæc ſunt gibbo, luſcoque, glabroque
Nomina, ſed probroſa magis tibi dicta; reſultant
Atria nam longo poſt hæc præconia riſu.
Addunt judicium prudens, animique ſagacis
Vim magnam, natumque novum gratantur Achatem

Cui-

---

a ——— *hunc varum diſtortis cruribus, illum*
Balbutit ſcaurum pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit, frugi dicatur, ineptus
Et jactantior hic paulo eſt, concinnus amicis
Poſtulat ut videatur. At eſt truculentior, atque
Plus æquo liber, ſimplex fortiſque habeatur:
Caldior eſt, acres inter numeretur
Hor: l.1. Sat.3.

Cuilibet Æneæ; laudant ſecreta tenentem,
Solertemque virum, emiſſis hinc inde cachinnis.
Ni regis hic animi jamjam turgentis habenas,
Verum auſcultabis velamine tu quoque demto.
Nam nihil ignoſci ſibi vult, qui garrit in omnes.

Fer, NARCISSE, alios: nullo patientia fructu
Uberiore viget. Pulcher te & turpis amabit,
Te doctuſque indoctuſque: omnes nam ſibi plaudunt
Utlibet, idque audire pudet, quod non pudet eſſe,
Aut facere. Hinnit equus, bos mugit, cetera promunt
Bruta ſonum, quoties locus & res poſcit & hora.
Diſce docendus adhuc quod monſtrant bruta; ſilendum eſt,
Niquid habes melius verbis, atque oris hiatu.

At caveas, moneo, ne quum ſincerior eſſe
Deſinis, aſſentere: etenim hoc eſt turpius illo. [a]
Mî ſatis eſt, ſi non nebulonum more, bonorum
Traducis mores, & iniqua laude ruentes
Sponte ſua in vitium veluti calcare perurges.
Audita virtute hilares oſtendito vultus,
Aſpectu vitii coram ſerpentis eoſdem
Contrahe; nam verbis reprehendere munus & ætas
Et pudor impediunt. Vitium magis ore ſilenti
Subtriſtique premes, quam nos ſermone, Deoque
Vindice demonſtrato. Æquali eſt tanta poteſtas.

Aulicolam aſt aliqui fortaſſe probumque piumque
Ridebunt. Fies ideo improbus? huic ſcopulo, omnes
Quo ſemper fatui pereunt, hærebis? at iſtam
Cur non cæſariem attondes, pompamque decuſque
Fœmineum, ſapiens quod ridet quilibet? aut cur
Verborum effluvio differs opponere vallum,
Quum plures in te reprehendant hoc vitium, quam

Qui

---

a *In obſequio comitas adſit; aſſentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur, quæ non modo amico, ſed ne libero quidem digna eſt.* Cic. in Læl.

Qui te ſtulte ridiculum probitate putarent? [a]
 Horum rumores facias uno aſſe minoris,
Nec cura, crepitent ſeu ſurſum, ſive deorſum. [b]
Sola etenim probitas tibi conciliabit amorem,
Atque fidem domini: livorem vincet & aſtus;
Hoſque prius, qui te riſerunt, coget honorem
Ferre tibi, vacuumque caput nudare, tuiſque
Plaudere ſi minus, at non obtrectare triumphis.
Cujus enim pectus non expugnabis honeſtis
Moribus, ingenuo vultu, ſermone benigno,
Parco & prudenti, cuicunque favere parato,
Nulli animo nocuiſſe, omni procul ambitione,
Arte procul miſeros homines ſpe paſcere inani?
 Eja agito, NARCISSE, viam percurrito apertam.
Si non pervenies ad rerum culmina, recte
Factorum capies ingentia præmia laudes,
Atque illam, imbuitur quæ nullo felle voluptas. [c]

SER-

a *Ceterum ſi te video celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi te intrante clamor, plauſus, & pantonimica ornamenta obſtrepuerint, ſi tota civitate te fœminæ puerique laudaverint; quid ni ego tui miſerear, quum ſciam, quæ via ad iſtum favorem ferat?* Seneca Epiſt. 29.

b Verba ſunt pene ipſa Senecæ contemnentis ejuſmodi nebulones.

c *Nunquam mehercule ego neque pecunias, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adſtricti ſunt, voluptates in bonis rebus eſſe numerandas duxi: quippe cum viderem homines rebus his circumfluentes, ea tamen deſiderare maxime, quibus abundarent.* Cic. in Parad.

SERMO OCTAVUS.

Quintum lucri cupidum hortatur ad amplectendas nobiles artes Architecturæ, Picturæ & Sculpturæ quarum Deum auctorem eſſe demonſtrat. Clementem XII. Pontificem Maximum bonarum artium fautorem & Vrbis inſtauratorem laudat.

RURSUM, QUINTE, petis qua vitam præſtat in arte
Ducere; ſæpe datis ignoro mercle quid addam
Conſiliis. Noſtras ad Muſas caſtra penumque
Vix hortor transferre: quid has mihi conſulis artes,
Inquis, quæ ſtudio plerunque coluntur inani?
Quid proſunt Muſæ, quid veſtra poëmata, nugæ?
Quis vatum locuples per carmina factus? amarum
Dant apiumque hederamque; quid hoc, ubi ſciſſa lacerna
Admittit frigus, premit aut anguſta domi res?
Hæc tu in tantorum conventu & luce virorum?
Os occlude, miſer, ne te tuus indicet eſſe
Abderitanum [a] ſermo. Nil deficit illi,
Qui nil optat; [b] habent Muſas & carmina vates,
Id ſatis eſt, miſeris non ſunt ſatis omnia [c] avaris.
At miſcere tibi quoniam libet utile dulci,
Ingenuoque homini dignam vis pergere ad artem:
Non longam ire viam jubeo: Capitolia votis

Ipſa

a Abderitas populos Thraciæ ſtupori mentis obnoxios fuiſſe tradit Cic. l. de Nat. Deor.

b *Non eſſe cupidum pecunia eſt: non eſſe emacem vectigal eſt; contentum vero rebus ſuis eſſe, maximæ ſunt certiſſimæque divitiæ.* Cic. in Parad.

c *Deſunt inopiæ multa, avaritiæ omnia.* Sen. ep. 168.

Ipſa tuis hodie ſunt reſpondere parata.[a]
Hunc teſtor florem juvenum, qui gnaviter artes
Exercent promuntque, quibus Deus auctor honores
Contulit ingentes, ingentia contulit omnis
Præmia conditio. Noſtris mentem arrige dictis:
Nam tua res agitur. Quid cauſæ dixeris eſſe,
Quinte, quod ad ſtudium pueri quum vique miniſque
Sint cogendi, ultro natura & ſponte feruntur
Ad pingendi artem ſculpendique ædificandique?
Aſpicis hos etenim cuneis parvaque ſecuri
Ligna parata focis turmatim ſcindere, vile
Cogere cæmentum, lapides vectare, lutoque
Nunc vel in ædiculam componere, nunc vel in hoſtem
Moliri oppoſitum vallum turrimque timentem
Vim zephyri: cultrix vel parvula turba Deorum
Templa facit, niveis ornatque altaria vittis.
Sæpe vides alios calamo, ſetiſve coactis
Nunc ſpumantis equi, nunc Thracis in arma ruentis
Effigiem formare: quod & riſu ora reſolvat,
Addunt inventis nova, vel jam fingere diſcunt
Naturæ maculas imitantes turpius: Aulo
Enormem appingunt naſum, Rutilæque tumentem
Amplificant gibbum, Tuccam faciunt Polyphemum.
At quis non veteri lino, cretave ſequaci
Corpora noſtra puer, quæ non virguncula format,
Et locat in cunis, & parva in ſede reclinat?
Rides, Quinte? docent tamen hæc nos philoſophiam
Ludicra: nam pueri divina ab origine ſenſum

F Ho-

a Tertio quoque anno nobilium artium architecturæ ſculpturæ & picturæ monumenta publice exponuntur in Capitolio ad excitanda laude & præmiis juvenum ingenia, legata ad tam præclarum inſtitutum pecunia a Clem. XI. Pont. Max. bonarum artium fautore ac patrono. Habitus eſt hic ſermo in acad. ibi magnificentiſſime celebrata an. 1732. coram Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus & ampliſſimo conſeſſu ex omnibus Ordinibus.

Horum traxerunt operum, praxiſque capacem. [a]

Artibus his uſus Deus eſt, quum prodiit extra
Se ipſum operans, artes has limo immiſcuit udo,
Ex quo conſtamus. Juſſit natura creatrix
Res cauſis prodire pares, ſimilique moveri
Indole. Quando igitur Deus eſt primordia rerum
Aggreſſus, cuicunque locum ſignavit in orbe
Æde velut magna: cælos ad fornicis inſtar
Erexit duplici nitentes cardine, terras
Libravit medias immobile fundamentum.
A terris undas, & ab undis abſcidit auras:
Pars ſuprema Deos, volucres agitabilis aer,
Terra feras cepit, ceperunt æquora piſces.
Hinc omnis fabricæ ratioque ordoque domorum
Doricus Etruſcuſque. Dehinc mirabile cœpit
Sculptor opus. Docilem fingens manus abdita limum
Condidit humanos artus vultumque decorum,
Oſſaque cum nervis hærentia, cumque micanti
Junctas arteria venas, tenuiſſima pellis
Quas tegit objectas oculis tamen atque videndas.
Hoc primum eſt, opifex quod caſtigavit ad unguem,
Hoc tibi, Praxiteles, tibi magne Lyſippe, imitandum
Hoc dedit exemplar fictor Deus ante Prometheum.

At quis ſat digno celebrabit carmine, facto
Quas veneres pictor divinus, quoſque lepores
Addidit? Ex auro flavos per terga capillos
Demiſit, candore eboris frontemque manuſque
Obduxit, pinxitque genas violiſque roſiſque,
Juſſit & ex oculis cæleſtibus æmula flammis
Lumina ſuccendi. Sed dixerit omnia nemo
Ornamenta hominis: ſiquidem latet intus imago

Al-

a ——— *venerabile ſoli*
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendiſque artibus apti,
Senſum a cæleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona & terram ſpectantia. Juv. Sat. 15.

Altera nobilior, divæque ſimillima [a] formæ,
Quam non noſtræ artis, non noſtri ſanguinis edunt.
Hanc, Quinte, integritas, pudor hanc probitaſque fideſque
Et veri decorat ſpecies & cultus honeſti.
Illi nil humilis tellus, nil aſtra dederunt:
Eſt divina quidem, ſed ſcripta in pulvere imago:
Quælibet aura nocet, delet fera quælibet illuc
Appulerit. Mentem cohibe, ſi forte tumeſcit,
Pelle voluptatem, nulla eſt fera ſævior illis.

Ad rem propoſitam redeamus. Nos Deus eſſe
Artifices voluit; pueros infudit in ipſos
Nobilium ſpecies operum, quæ ſiquis inerti
Deſidia liber primis tractabit ab annis,
Hunc olim divinum hominem fore nemo recuſet,
Qui ſit templa Diis poſiturus, tecta domoſque
Magnificas homini, ſecuras civibus arces:
Qui revocet, Libitina, tuis heroas ab urnis,
Et longum donet vitam producere in ævum
Marmore vel Phrygio, vel nobilis ære Corinthi:
Arbiter aut olim venturi temporis ante
Ora oculoſque alta res in caligine merſas
Facunda exponat tabula. Vidi ora ſeveri
Judicis, extremo qui tempore faſque nefaſque
Diſcutiet: vidi miſtum, aut vidiſſe putavi
Ingenti turbæ pavidum te, Quinte, ſed ibam
Pone ego pallidior. Spectanda eſt triſtis imago
In Vaticano: [b] ſæpe huc te confer, ab illa
Et ſapere, & mores componere diſce per artes
Fidas virtutis comites vitæque magiſtras. [c]

a *Quid parem Deo facit? animus, ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam Deum in corpore humano hoſpitantem?* Sen. ep. 3.

b Judicium extremum in proſpectu aulæ Sixtinæ pictum ab immort. mem. viro Mich. Ang. Bonarota.

c *Sicut initium ædium eſt janua, ſic ad virtutem primus aditus eſt encyclopædia.* Phil. L. de Prof.

Non dum te iſta movent ? Supereſt ut, Quinte, videres
In Capitolinis hodie quæ ſedibus illas
Gloria conſequitur. Priſcos ubi Roma triumphos
Duxit, & extremæ cumulavit munera terræ,
Hic artes omni potiores laude celebrat,
Queis delubra, domos, monimentaque cetera debet,
Atque alias inter nitidum caput extulit urbes.
Hic ſua victori proponit præmia; quanquam
Ipſa ſit una ſibi merces victoria & unum
Munus honor. Quantam dant Lumina prima Senatus
Purpurei lucem! quantam qui Maximus orbem
Divino regit imperio, paribusque tuetur
Conſiliis Clemens! In apricum, quod vetus ætas
Signorum obruerat, profert, moleſque petitas
Temporis inſidiis operoſo marmore fulcit,
Ornat & arte pari: Divis nunc æde paranda,
Nunc tabulis mentes acuitque, manuſque potentum
Fervidus artificum movet, & decora alta reformat
Artibus ingenuis, priſcæ non invida laudi. [a]
Hæc legis, & cupidus famæ lucrique moraris?
Eja age, conſiliis quantocius utere, dumque
Pono modum dictis, dubiæ tu ponito menti.

LIBER

---

[a] En tibi inſcriptio ſubjecta æreæ ſtatuæ ei in Capitolio erectæ.

CLEMENTI . XII. PONT. MAX
OB . SENATUS . PRIVILEGIA . AMPLIFICATA
EXORNATAM . ÆDIFICIIS . URBEM
LAXATAS . AREAS
DIRECTAS . PROLATAS ; STRATASQUE . VIAS
VETERA . SIGNA . MULTO . ÆRE . COMPARATA
IN . CAPITOLIUM . INVECTA . MAGNIFICEQUE . DISPOSITA
S. P. Q. R.
OPTIMO . ET . MUNIFICENTISSIMO . PRINCIPI
STATUAM . DECREVIT
A . S . CIↃ. IↃCC. XXXIV.



LIBER SECUNDUS
SERMO PRIMUS.

Timet libro ſuo in lucem edito. Dicit ſe ſcribere ad erudiendam juventutem exemplo P. Paulini, cujus orationes laudat. Poëſi unice intentos non probat, ſed eam dumtaxat tanquam ornamentum aliarum diſciplinarum concedit.



EN, Pauline, tibi promiſſus ſæpe libellus
Prodiit in lucem. Vidiſti membra ſeorſum,
Nec corrugaſti nares, veluti tuus eſt mos
Ad tricas apinaſque [a] : at judicis inſtar amici
Feceris hoc, vereor: nam quam mihi curta ſupellex
Sit, me non fugit: fateor noſcoque ſalilli
Quantula ſit menſura mei. Jam pagina diſcet

No-

a *Sunt apinæ tricæque, & ſiquid vilius iſtis.* Mart. l. 14. ep. 1. nempe res nullius momenti, dictæ ab his duobus oppidulis nullo negocio a Diomede everſis

Noſtra, quid interſit privatæ dicier auri,
Dicier & cunctis, qui pangunt carmina, vel qui
Acres olfaciunt emuncta carmina nare.
Horum ego judicium formido. Nam quid ubique eſt
Tam miſerum tam turpe, tibi quam ſiquis ab æde
Muſarum antiſtes dicat: cur carmina condis, [a]
Aut quo hæc admiſſo meruere piacula chartæ,
Queis crocus & ſcomber foret aptior, & piper & thus?
Si mihi quis notus Muſis & carminis auctor
Dixerit hæc, contra nil reſpondebo, ſed ultro
Omnia concedam largus pro quolibet uſu.
  Hæc tamen haud multum me libera verba movebunt,
Horum ſi fuerint, qui culpant non quia craſſe
„ Compoſitum, illepideve putetur, ſed quia nuper,
„ Vel quia turpe putant parere minoribus: [b] illis
Non ſcribo: verſent antiquos, juſſa ſequantur
Unica majorum: aſt auctoribus officit ætas
Si præſens, quidquid dicent, facientve ſecundum,
Hiſce laborabit vitiis [c]. Hæc denique ſumma eſt:
Scribo juventuti, cui vena Poëtica cordi.
  Nos etenim ratio vitæ præfecit alendis
Ingeniis juvenum [d]: hos exempla domeſtica ſcalpunt
Valdius externis. Hi te, PAULINE, Latinæ
Purgatum auctorem linguæ mirantur, & omnes
Ore tuo pendent taciti, quum verba figuris
Omnibus exornata facis, priſcamque loquendi

In-

a *Nec ſatis apparet, cur verſus factitet, utrum*
Minxerit in cineres patrios, an triſte bidental
Moverit inceſtus: certe furit. Hor. in Art. Poët. Illi enim videtur malum poëtam, dum verſus factitat, pœnam luere pro magno aliquo facinore.

b Idem lib. 1. epiſt. 1.

c Nempe unum erit ex operibus præſentis temporis, quæ ab illis improbantur.

d Inſtitutum Scholarum Piarum, ut ex nomine patet, eſt Juventutem ſtudio literarum allicere ad Pietatem, ac bonis moribus informare. Ordinem hunc fundavit Romæ an. 1622. Ven. P. Joſeph Calaſantius Nob. Aragon. qui ibidem magna Sanctitatis fama obiit an. 1648. 8. Kal. Sept. ætat. an. 92.

Digitized by Google

Inſtauras artem. Dixit Germania laudes
Te dignas [a], dicetque alias, imitanda juventæ
Quod monimenta locas Ciceroni proxima. Eidem
Hos ego verſiculos dicto, ne forte libebit
Quum poſt Virgilios Flaccoſque recentibus uti,
Omnes cogantur conflare aliunde libellos,
Qui modice hunc noſtrum, paucos ſi exceperis, ante-
Cellunt: qnin multi velut ægri ſomnia, mentes
Corrumpunt teneras, falſarum & imagine rerum
Deludunt. Ergo bonus es formare Poëtas?
Non mihi tale mei bene conſcius arrogo munus,
Nec veluti tu oratores, ita fingere vates
Poſſum ego, nec cupio. Miraris? idonea rebus
Omnibus eloquii vis & divina Minervæ
Ars eſt, quæ populos concordi in pace tuetur,
Quæ leges & jura foro defendit iniquis
Judiciis, Divûmque metu, aut virtutis amore
A vitiis homines abſterret, & ardua celſo
Suadet adire animo: quæ verbo denique ut uno
Omnia concludamus, honore [b] potitur & ære.
 At quis conſequitur Faſces, quis colligit aurum,
Qui ſolas coluit Muſas? mihi parcite, Muſæ,
Veſter inops chorus eſt, [c] nullo ardet murice Pindus.
Ergo meis totus præceptis nemo Poëta

Fiet,

---

a Vid. Act. Erudit. Lipſ. an. 1727. pag. 546. & act. 1729. pag. 191. quæ referunt orationes elegantiſs. P. Paulini a S. Joſepho Schol. Piar. in Archigym. Rom. Eloquen. Profeſſ. Editæ fuerunt Romæ an. 1727. & Lipſiæ 1728.

b *Duæ ſunt artes, quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis, una imperatoris, altera oratoris.* Cic. pro Muræ.

c *Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ,*
Hæc ſapit, hæc omnes fœnerat una Deos.
Præter aquas Helicon, & ſerta lyraſque Dearum,
Nil habet, & magnum, ſed per inane ſophos.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permeſſidos unda?
Romanum propius, divitiuſque forum eſt.
Illic æra ſonant: at circum pulpita noſtra
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant. Mart. l. 1. ep. 76.

Fiet. Homo ſoli nemo ſibi naſcitur; omnes
Utilitate aliqua naturæ lege tenemur
Et prodeſſe aliis, & nullum lædere: quis mî
Ex puris putis præſtabit utrumque Poëtis?
Aut ſatyras ſcribet, ſapiens quas nullus amavit,
Quaſque premunt celeres probroſa morte ſecures:
Aut ſi non tanto chartam calamumque veneno
Inficiet, turpes quandoque docebit amores,
Et putris in Venerem ſua late incendia fundet,
Et dicet juvenum curas & libera vina:
Aut etiam, ſi Djs placet, arma viroſque ſonabit.
Nil ſuper hoc? quanquam bella omnia, docta, diſerta,
Non ſatis eſt. Adriæ peragrabam litora nuper,
Adque diem multam pranſurus ſiſto vocante
Me caupone, ſuam & multis laudante culinam.
Haud mora, piſciculos aſſos apponit, & inquit;
Heſterni venti rhombos ſoleaſque profundo
Sub mare merſerunt; damnum reparabimus iſtis
Parvis, ſed ſapidis. Dum laudat, prandeo, ſed quo
Plus edo, acuta fames minus exaturatur: ephœbus
Diſcum affert aliumque aliumque, ego feſſus edendo
Non ſaturatus eram. Cauſam, PAULINE, requiris,
Qui ſcis nec ventrem mihi vulturis eſſe, nec urſi?
Piſciculi multum ſucci, nil carnis habebant.

Admoneo juvenes ſcriptor, quod voce magiſter
Sæpius admonui, mihi nec ſuccenſuit ullus
Vel pater illorum, vel avunculus: eſſe Poëtas
Hos ego non hortor; nam carmina quiſquis ut artem
Eligit, atque colit, rebus fit ineptus agendis,
Non ſibi, non aliis accommodus. Ergo Poëſim
Damnas? haud equidem: nam ſic me Djque Deæque
Semper ament, ut ei nil detraho; ſed neque plura
Cedo, quam ſit par. Homini placet eſſe Poëſim,
Quod color eſt rebus: rerum ſubſtantia plena eſt,

Omni-

Omnibus & numeris componitur ante colorem.
  Illuſtrent mentem juvenes & luce ſophorum
Et conſultorum juris. Quo diſtet iniquo
Rectum, quo ſtultis ſapientia conſiliis, &
Quo verum falſo diſcant, aliaſque per artes
Ingenium verſent. Hæc eſt ſubſtantia, robur
Hoc perfecti hominis; veſtes phaleræque Poëſis,
Ornatuſque, quibus certis prodire diebus,
Certis atque locis præclarum eſt atque decorum.
Arcades exemplis Infœcundique [a] relucent
Perpetuis. Illi ſcrutantur viſcera rerum,
Hi nodos juris ſolvunt, cauſaſque perorant,
Hic urbem Prætor, Judex regit ille tribunal,
Denique quiſque bonas exercet idoneus artes;
Sed quum in Janiculo lauriſque hederiſque theatrum
Fertile, Aventino vel colle recluditur, omnes
Et Muſis dignos recitant, & Apolline verſus.
  Hæc, PAULINE, velim veſtigia certa ſequatur,
Noſtris quæ monitis formatur & arte juventus.
Quod ſiquem, ut tanto in numero, natura Poëtam
Effinxit [b], puram qui ſorbeat Hippocrenen;
Votis ille meis evadat Horatius, illo
Vel ſi quis melior, fiat Maro, fiat Homerus.

a Duæ ſunt Romæ celebres Academiæ, Arcadum altera, altera Infœcundorum. Hi cœtus ſuos cogunt in Hortis Gymnaſiis in Monte Aventino, illi ad radices Janiculi in nemore Parrhaſio quibus in theatris audire eſt frequenter quotannis clariſſimorum ingeniorum lucubrationes.

b Eos, qui Poëtæ naſcuntur, fruſtra quis conaretur a Muſis avocare teſte Ovid. l.4. Triſt. eleg. 10.

At mihi jam puero cœleſtia ſacra placebant,
Inque ſuum furtim Muſa trabebat opus.
Sæpe pater dixit: ſtudium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipſe reliquit opes.
Motus eram dictis, totóque Helicone relicto
Scribere conabar verba ſoluta modis.
Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos;
Et quod tentabam ſcribere, verſus erat.

SERMO SECUNDUS.

Fauſtino juris ſui facto commendat mediocritatem, oſtendens quam perniciosſum ſit ab ea diſcedere. Naturam cupiditatis explicat, cui ſi non tempeſtive reſiſtitur, hominem in ingentia mala præcipitat. Indicat quænam ſint licitæ voluptates.

NOBILITAS, FAUSTINE, tibi eſt, ædeſque refertæ
Præclaris belli ducibus patribuſque togatis,
Sunt tibi divitiæ, ſunt prædia multa tibi non
Forma nec ingenium deſunt; ſunt munera Divûm
Diviſa in multos, in te collecta ſed unum.
Munus at hoc majus, minimum quod forte putaſti,
Dicta tibi a puero lex, parce talibus uti,
Nec turgere, ullum nec faſtidire minorem.
Nulla tibi veſtis fuit uſque huc ſerica, nullum
Veſti aurum intextum, Bredana ſubucula nulla e
Pectore ſubtiles extendens molliter alas.
Veſte inceſſiſti nummis ter quattuor emta
Et pulla, præter quod cingit colla decenter
Linum cæruleum, ſacrorum inſigne Virorum.
Parca fuit loculis permiſſa pecunia, ſervo
Utilis ipſe tibi raro uſus es, & niſi tanquam
Teſte aut affixo lateri cuſtode, capillos
Vix licuit criſpare, uncta candere farina
Nunquam. Frugali menſa vinoque ſalubri,
Et ludo precibus breviore & munera vitæ
Omnia complexo ſtudio [a] formatus es hanc ad

Uſque

a Recenſuit hucuſque regulas Collegii Nazareni.

Uſque diem, qua prima virum te barba fatetur.
Quorſum hic ſpectabat vitæ modus? Unguiculis ut
A teneris aſſuefieres mediocria amare, &
Nulla infinitis bona fluxa expoſcere votis. [a]
Hoc medium, FAUSTINE, omnes tenuere beati,
Atque tenent; ab eo nunquam diſceſſeris hilúm,
Aut eris infelix. Natura cupidinis hæc eſt:
Quo plura indulges, inhiat quoque plura [b], nec ingens,
Omnia ſi injicias, implebis guttur: ut ignis
Flante noto ſepem vicinam corripit, inque
Bacchatur ſegetem, tum volvitur in nemus atque in
Annoſam ſilvam: domino nil ſufficit igni.
Eſt penus inſanæ fortuna cupidinis, utque
Capta eſt illa oculis & tempore mobilis omni,
Undique pleno hodie fundit ſua munera cornu,
Cras repetet majora datis, & dejiciet, quem
Erexit nuper, dejectumque eriget; hoc nam
Perpetuo fallax volvit mortalia ludo. [c]
Finge tamen læta conſtantem fronte, quid optas
Primum? Divitias. Quantas? Duplicare mearum
Summam. Macte animis, ordire negocia, volve
Priſcas membranas, titulos inquire ſepultos
Fundorum, litem vicinis atque remotis
Intende; haud deerit claro modus & locupleti. [d]
At facta tandem ſiſtes in duplice ſumma?
Solus eris; quot-enim-quot condito ab orbe momordit
Turpis avarities, duplicatum quadruplicare [e]

 Niſi

a *In omnibus rebus mediocritas eſt optima.* 1. Off. *Tamen magis offendit nimium, quam parum.* De Orat. *Qui deſiderium ſuum clauſit, cum Jove de felicitate contendit.* Sen. ep. 53.

b *Cupiditas indulgendo augetur, reſiſtendo extinguitur.* Ex Apoph.

c *Fortuna ſævo læta negocio, &*
Ludum inſolentem ludere pertinax
Tranſmutat incertos honores
Nunc mihi nunc aliis benigna.
Horat. l. 3. od. 29.

d *Pecunia omnia effici poſſunt.* Act. 5. in Verr.

e *Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro*
Tertia ſuccedant, & quæ pars quadret acervum. Horat. l. 1. ep. 9.

Niſi ſunt cumulum; nil ſanctum nilque propinquum
Sunt veriti; nulli didicerunt parcere, qui ſe
Fœde ipſos cruciant, natos cum conjuge multant
Vilibus & parcis epulis & gauſape inemto.
Tecti magna ſui eſt labes, magna urbis avarus
Quilibet, & fulvi lector cultorque metalli.
Ergo ne unquam odium fias hominumque Deûmque,
Utere conceſſis, FAUSTINE, nec undique, iturus
Forte brevi ad tumulum nudus, grave congere pondus,
Quod premat æternum te perditum & omnium egentem.
Ad fortunam igitur redeamus. Poſcis honores.
Quos? etenim vario ſunt ordine. Poſco minores.
Papæ! es homo moderatus. Eris ſed tempore longo?
Nulla urtica gradus majoris te ſtimulabit,
Quum parium cinget crines aut infula, rubrum aut
Pileum, & ornabit ſandyx puriſſimus, ortu
Quos olim ſuperare tuo meritiſque putabas?
Paucis ambitio contenta eſt nata recenter:
Quum robuſta autem cupido ſub pectore facta eſt,
Quid non molitur, quæ non celſiſſima rerum
Culmina per fas atque nefas ſectatur [a]? Amico
Ex veteri, præfert ſibi quem fortuna, fit hoſtis.
Nemo ſalutatur, nemo eſt non bardus & excors,
Qui non pandit iter ſibi vi, nec ſtipat euntem.
Nil ſatis eſt, mihi crede, animo veſana libido
Quem ſemel imperii pervaſit. Fundere quondam eſt
Viſus Alexander lacrimas, quod nulla pateret
Orbe ex devicto via ad orbes, quos ſibi plures
Stultus eo magis eſſe Sophos perſuaſerat. Hunc tu
Non imitabere; ſed potius, quum ſors tibi quemquam
Prætulerit, generoſum illum fortemque Lacona,
Qui prætermiſſus quanquam digniſſimus unus

Inter

---

a *Complures ſe ſcelere contaminarunt, imperii cupiditate.* Cic. 3. Offic.

Inter præfectos urbi populiſque trecentos,
Templa adiit Divis grates acturus, haberet
Inclyta quod tot ſe meliores patria cives.
O dignum quanquam ingrata Lacedæmone civem!
  Ad rerum te finge vices, age fortiter. Ille eſt
Verus honor, qui ſponte venit, quæritque merentem.
Perdit quanquam ingens meritum, qui ſe ingerit ultro.
Ergo legitimos ſolum affectabis honores,
Quamque frui, males ſapiens doctuſque mereri.
  At donec viridi flores fortique juventa,
Contemto rumore ſenum gravibuſque querelis,
Non oblectari juvenum de more recuſas.
Perge age, ſed videas, FAUSTINE, quid expedit, & quid
His nocet in votis. Incautos namque fefellit
Et fallet tempus lethalis in omne voluptas. [a]
Nunquam illam aſpicias venientem: decipit ore
Illecebris pleno, cupidis fallacia tendit
Retia luminibus, jucundam inſtillat in aures
Peſtem, perque fores ignavi corporis omnes
Interiora ſubit, perflatque in corda venenum.
Eſt breve, mortales quidquid delectat omiſſa
Virtute & ſanctis monitis rationis acutæ.
  Cerne voluptatem fugientem. Læta venire,
Triſtis abire ſolet Venus [b]. Heu quo talia multis
Gaudia, vel quanto ſunt emta dolore! Fames hunc
Pridem opulentum urget. Miraris? adire Corinthum
Non ſemel eſt auſus. Profuſum punit egeſtas
Hoc ſcelus, & laxas inopina coërcet habenas.
Incutit ille metum quanquam blanduſque tribuſque
Par prope Acidaliis: illum arcet ſedula mater

Longe

a *Imitatrix eſt boni voluptas, malorum mater omnium, cujus blanditiis corrumpuntur, quæ natura bona ſunt.* Cic. 1. de Leg.

b *Fluit voluptas, & prima quæque evolat, ſæpiuſque relinquit cauſas pœnitendi, quam recordandi.* 2, de Finib.

Longe a pignoribus caris, ceu a floribus Auſtrum,
Aprum ab aquis, ſævum teneris ab ovilibus urſum.
Namque loquax certis de furtis fama ſuſurrat,
Perdidit & toto nomen pretioſius auro.[a]
  Sed modica eſt ratio ſinceri nominis his, qui
Hocce luto ſordent: reperit bene vividiorem
Quam feriat partem pœna ingenioſa. Frequenter
Vidimus heu! medio tabere in flore juventæ
Nulli adoleſcentes formaque animoque ſecundos,
Qui columen miſeræque domus patriæque fuiſſent,
Ni ſtamen toties Parca invitata ſcidiſſet.
Sævus amor plures occidit Marte cruento.
Principiis obſta, FAUSTINE, libidinis atræ,
Quæ quo infuſa animo ſemel eſt, trahit uſque volentem
Nolentemque magis fortis quocunque tyranno.
  Quæ ſupereſt igitur non pernicioſa voluptas?
Quæ, cum es perfruitus, te nullo dente remordet.
Hiſtoriæ ſtudium, citharæ ſonus, aucupiumque;
Ludus cum paucis brevis & tranquillus amicis,
Poſtque famem faciles epulæ, quæ in pectore crudum
Nil cras efficiant; poſt curas atque laborem
Vitalis requies, & ſomnus imagine nulla
Præteriti admiſſi turbatus; circulus, ornent
Quem doctique probique. Sed omnibus una voluptas
Eminet, hanc poſito demonſtrat Horatius evohe:
„ Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.[b]
  Huc vitæ, FAUSTINE, tuæ moderatio lexque
Relligioſa tibi multos ſervata per annos
Spectabat. Refert multum quam vivere ſancte
Cœperis, at vitæ complectitur omnia finis.

SER-

a *Fama malum gravius, quam res trabit..*
...bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum eſt ubicunque.. Horat. l.1. Sat. 2.
b Idem l.1. epiſt.1.

SERMO TERTIUS.

Marco literarum cupidiſſimo præſcribit formam ſtudiorum. Incumbentem uno tempore multis & diverſis libris reprehendit. Damnat lectionem librorum, qui poſſint Pietati ac bonis moribus officere.

LAUDO, MARCE, tuos in Palladis arte labores,
Et quos a ſtudiis fructus huc uſque tuliſti:
Sed tot emendorum fervens prurigo librorum eſt
Dira intemperies, mihi crede, potenſque labores
Non ſolidos, nec adhuc maturos perdere fructus. [a]
Dic mihi, naturæ quæ menſa ſalubrior, illa,
Fercula quam centum, grandes totidemque lagenæ
Plus onerant, nigrum quam incus Vulcania truncum;
An quam tres patinæ quatuorve atque amphora duplex,
Altera major aqua, vino minor altera plena
Exornant moderate? Illa conviva recedit
Pallidior buxo, fragis rubicundior iſta.
Cur ita? Quod modicus venter modica indiget eſca,
Obruitur nimia. Cœna glutitus in una
Mullus cum trutta, cum apro lepus, atque palumbus
Cum fulica ſparſo per ſingula aromate multo:
Mala, pyra, artocreas, montanus caſeus, oris

Ad-

a *Diſtrabit animum multitudo librorum ... Sed modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum. Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ ubi varia ſunt & diverſa, inquinant, non alunt.* Nec forte errant illi, qui bibliomaniam quoddam genus eſſe morbi arbitrantur. Remedium ſunt libri pauci, boni, qui & legantur & intelligantur.

Advectum extremis vinum, dulciſſimus humor,
Caffæumque geluque rigens cocolata teumque,
Sique alia invexit peregrina vocabula luxus,
Uno quid facient ſtomacho commiſta? Neceſſe eſt
Tanto victa acido maſſa putreſcere, corpus
Inficere, & venas humore implere maligno.
At valet ille diu, ſervatque in corpore vires,
Qui bovis elixo dodrante duobus & aſſis
Turdis & pomo maturo veſcitur, uſus
Exiguis cyathis fumoque carente culina.
  Hoc eſt dicta tibi exemplo ſententia. Mens eſt
Ut ſtomachus quidam, libri quædam eſca: adoleſcens
Qui ſapit, & properat ſtudiorum attingere metam,
Seligit auctores, & pectore digerit imo
Tres quatuorve bonos. Parvis ſapientia nata eſt
Principiis, ſenſim & reperit dialectica verum.
  At tu librorum inſatiabilis helluo, apertos
Sæpe decem in pluteo percurris mente oculiſque
Ut ſatur, idque magis tibi quod nocet, e variis ſunt
Depromti forulis, diverſaque prorſus agentes.
Melchior hinc Canus, noſter [a] Borellius inde,
Vida, Metaſtaſius, Corſinus, Cujaciuſque,
Auctores, non inficias eo, nomine clari,
Sed nimis excedens anguſto pro lare turba.
Numina Baucis inops duo vix in tecta recepit,
Plures nequidquam pulſaſſent oſtia divi.
  Quid valeant humeri tentandum eſt; Exere robur
Omne, feres ſolum vix uno tempore Canum.

Pigno-

a Alphonſus Borellius familiari conſuetudine uſus eſt cum C. R. Schol. Piar. & Florentiæ & Romæ, ubi in eorum domo S. Pantaleonis diu commoratus vixit ceterorum more, & juvenes Religioſos in mathematicis diſciplinis inſtituit. Pie ibidem an. 1679. obiit, & in eorum Templo ſepultus eſt illis ex aſſe, modico quidem, heredibus inſtitutis. Vid. ep. ad Lect. Præp. Gen. Schol. Piar. præfixam operi de Motu Animal. quod ex Borellii MSS. ſelegit, & in lucem edidit. Utinam & alia tandem aliquando in publicum prodeant.

Pignore vis mecum certare, quod occiput hærens
Scalpes, ſi poſco quid libri pagina prima
Continet; aut ſiquid reſponſum dixero contra,
Te non expedies? Tamen omnia congeris, atque
Miſces philoſophos, vates, legumque-peritos,
Et totam inglutire hauſtu vis Pallada in uno.

Hanc apage ingluviem. Seniores novimus, artem,
Diſcere quam prima ſolam incœpere juventa,
Non bene callentes [a]: tu imberbis ſcire laboras
Omnia. Contracto levis es velut amphora collo;
Undam guttatim effundens implebis, at ingens
Effluet, & rumpet fors debile copia vitrum.

Paucis ergo libris rem complectentibus unam
Nunc intende animum: cognôris quum penitus rem,
Ad fontes alios properabis. Non aliter fit
Clarus vir ſtudiis & dignus imagine macra.
Ars eſt longa, brevis vita; arte excellere bina
Viſus adhuc nemo poſt ſecula multa: recentes
Confer cum priſcis auctores, inſpice frontes;
Quod quiſquis voluit ſimplex dumtaxat & unum eſt,
Nec magnam meruit complexus plurima laudem. [b]
Ergo vagum ingenium certis includito metis, [c]
Aut prædico brevi exhalandum more vaporum.

At quis tot ſe inter tam docta volumina, tamque
Splendida contineat? Minus auro terga relucent,
Quam veluti verborum gemmis interiora,
Et rerum invadente oculos animumque nitore.
Includam hæc juſſis monumenta illuſtria metis.
Namque docent variis hominum de moribus & de

a *Optimus & graviſſimus quiſque confitetur ſe multa ignorare, & multa ſibi etiam atque etiam eſſe diſcenda.* Cic. 3. Tuſc.

b Quidam fuiſſe auctor traditur, qui operi a ſe confarcinato titulum hunc præfixit. *De omnibus rebus & quibuſdam aliis.*

c *Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat.* Sen. ep. 2. ad Lucil.

Relligione: novas ſalibus res atque lepore
Multo conſpergunt. Neſcit qui talia, nullo eſt
In numero, nullo eſt, qui non capit extera verba:
Quin ſtudio diſcit nonnemo Britannica toto.
Tanta animi me, MARCE, rapit moderatio: namque
Non ultra Europam præfixiſti tibi metas.
In pretio longe ante alias hoc tempore noſtra eſt
Lingua; diſerta adeo præclaraque ſenſa feruntur
Hoc ſermone: nihil non docte, non ſapienter
Scriptum oculis præbet [a]. Sed opus diſcernere multum,
Cuncta nec amplecti: nam ſæpe ſalubribus herbis
Subrepunt angues, concreſcunt ſæpe cicutæ.
Totus ſplendide amat Septentrio ſcribere, totus
Splendide & Occaſus. Non eſt regionibus illis
Una Fides, non eſt mens tot ſcriptoribus æqua.
Negligit hic Superos, Sacra non probat ille, futuram
Quidam animam dubitat poſt funera, crimina quidam
Nulla putat. Quid enim labefacta Relligione
Moribus eſt tutum? Quid non licet, eſt ubi rerum
Arbitrium dominans & pro ratione voluntas?
Auctorum ſiquid coram lectoribus horum
Virtutem redolens dices facieſve, cachinnis
Excipiere velut corde expers conſilioque.
Explodere, minas ſi dixeris eſſe Tonantis
Concuſſam horrendum ſinuoſo turbine terram,
Si ſubitum pœnas violati Numinis ignem
Dimidias urbes populatum, ſi tumidum amnem
Noctu homines miſtumque pecus parteſque domorum
Aut ripa ejeciſſe, aut evolviſſe ſub æquor.
Quippe putant cœco ferri mortalia caſu
Omnia, nec noſtri tangi ulla Numina cura.

Heu

a Egregiis hiſce Scriptoribus alte inſedit in animo Ciceronis ſententia 2. Tuſc. *Videtur quidquid literis mandatur, id commendari omnium eruditorum lectione debere. Lectionem ſine ulla delectatione negligo.*

Heu! miſeris tantum libri nocuere profani.
  Hoſce jube auctores tu tempus in omne valere. [a]
Afflant virus enim, tacito quod viſcera tabo
Intrat, & in ſeros interdum prorogat annos
Funera. Non ſenſit cito, qui bibit, imo negavit
Jam ſuetus morbo externa ſe peſte perire.
Dilige, ſcribuntur qua nobis omnia lingua, &
Selige: namque bono melius nil forſitan uſquam eſt.
  Denique, MARCE, ſtude magis ut ſis relligioſus,
Quam doctus, quam philoſophus. Sævo eſt metuenda
Angue magis, quæ non probitate ſcientia pollet.
Verſa & conde animo quæcunque volumina ubique
Sunt, te doctrina ſuperabit ruſticus Ægon,
Qui, dum erras, veri callem ſectatur & æqui.
O MARCE! o quantum eſt noſtra in ſapientia inane!
Diſce hærere Deo: replet vacua omnia ſolus.



a *Non eſt utendum his literis, quæ ſic linguam & mentem expoliunt, ut mores inficiant.* Plin. l. 22. c. 13.

SERMO QUARTUS.

Artemidorum indocilis animi arguit, quod ingens eſſe malum demonſtrat. Loquacitatem & ſcurrilitatem reprebendit. Superbiam maximo literis diſcendis impedimento eſſe oſtendit. Docile ingenium perſpicaci præponit.

ULTERIUS tecum non diſſimulabo; nocerem
Namque tibi rebuſque tuis nimis, ARTEMIDORE,
Si mea te longo patientia tempore ferret.
Dementes ſumus ambo: ego qui te recta docere
Nitor, tu qui me ſcis plura, meamque cathedram
Cum his rudibus circumſtas. At rudis hic, rudis ille,
Quos rudior ſpernis, faciunt quandoque Minerva
Digna, tuum vidi nil unquam mercule dignum.
ARTEMIDORE, manus poſt longum tempus inanes
Sunt, vacuumque tibi caput; & quod me magis angit,
Stabit ſemper idem tibi cum manibus caput jſdem:
Nam non es docilis. Vitium autem hoc in juvene ingens
Et lethale malum eſt, quod idonea vivere mactat,
Fruges peſſundat præſentes ſpemque futuri.
Noſtra patet pridem tibi janua, abito, vel audi
Demiſſis tandem criſtis animoque ſuperbo,
Quæ ſanam valeant furioſo reddere mentem.
Virus ubi ſceleris tellus exterrita primi
Senſit, mutari ſenſit quoque ſemina frugum in
Noxia [a]; nec præter lolium, tribulos, paliuros,

Spon-

[a] Patres aliqui & præcipue Ven. Beda, cenſuerunt ante peccatum Adæ, nullum animal fuiſſe venenatum, nullam herbam noxiam.

Digitized by Google

Sponte tulit quidquam. Magni ſtetit herba ſalubris,
Nec ſine collecta eſt duro ſeges ulla labore.
Ipſo hoc imbutum peperit te terra veneno.
Semina noſcendi ſi unquam tibi certa fuiſſent, [a]
Degeneraverunt non tam, ARTEMIDORE, parentum
Culpa, quam geſtas quo turgida pectora, faſtu.
En prope luſtra tibi quatuor fluxere, ſciendi
Quæ monumenta mihi monſtras, quæ ſigna politi
Ingenii? Num ſermonem, qui plurimus ore
Exit ubique tibi concedenti omnia linguæ, [b]
Nil limæ, nulla ratione puerne ſenexne,
Vel plebs vel proceres adſtent, vel fœmina vel vir?
Hoc ſi ſcire tuum eſt, vincit te pſittacus. Ille
Non etenim cudit nova verba, fideliter hæret
Syntaxi, noſcitque ſuum, vocitatque magiſtrum,
Et quæ ſe docuit, recitat, metuitque quid ultra
Addere; nam nobis loqueretur America verba.
Ceterum ei nullum eſt hominum diſcrimen, uti tu,
Tam populo coram, quam magno principe garrit.
Scis homines ſimulare, tonos ſcis reddere vocum,
Cumque modis geſtus, inceſſum. Non reor unum
Eſſe hominem, quum te video, ſed ſiſtere coram
Me puto blæſorum monſtroſorumque catervam.
Nunc mihi fœminea reſonas, nunc voce virili,
Nunc nullam profers toto ſermone caninam
Literam, eam profers duplicem nunc eſt ubi ſimplex:
Nunc planum fingis mentum, nunc, fingis acutum.
Es modo gibboſus, modo cocles, vel modo claudus. [c]
Quid non es? Maculas naturæ colligis omnes

Ut

a Contendunt nonnulli Philoſophi habere nos ideas rerum innatas & ſemina ſcientiarum, quæ ſtudio aluntur, & mature ſcunt. *Diſcere enim nihil aliud eſt, quam recordari*. 1. Tuſc. & de Senect.

b *Quidam hoc præclarum exiſtimant, ſi nunquam ſileant, quum id ſit certiſſimum fatuitatis argumentum*. Ex Apoph.

c Similis illi ſcurræ, *qui mores aliorum tam inepto geſtu exprimit, ut cum alios irrideat, ipſe omnibus ſit ridiculus*. Ariſt. *Eſt proprium ſtultitiæ aliorum vitia cernere, oblivisci ſuorum*. 3. Tuſc.

Ut ſcarabeus, ineſt quod forte bonumque relinquis.
Hic quoque brutum aliud te vincit. Simia nam non
Sola refert hominum vitia, aut informia membra.
Quod ſanum objicitur, quod rectum, imitatur; in armis
Stat, ducit choreas, præſentes ore ſalutat
Compoſito urbane, reveretur corpore flexo,
Atque graves ſimulat ſe geſtu expromere ſenſus.
Siquem oratorem, ſiquem tu forte poëtam
Audiſti, friget cum verſu oratio, ſtultam
Nil vitat criticen. Humilis Maro, Tullius uber
Plus æquo, tenebris offuſus Horatius. Ergo
Carmina percipies hæc noſtra facillima. Rapum
Eſt tibi pro cerebro & ventoſa cucurbita, proque
Conſilio priſcis Dea quædam [a] culta Latinis,
Cui multo elleboro liquidaque litatur oriza.
Sed quid ego ajebam? mea me ſententia fallit.
Eſt dignum riſu, quod de te huc diximus uſque.
Quod ſupereſt, iram quocunque in pectore pleno
Phlegmate commoveat. Non tu veſanus es, illa aut
Simplicitate animi, qua lævo ſidere natos
Ridemus ferimuſque, & quando negocia ceſſant,
Illorum alloquiis gaudemus, poſcere amamus
Reſpondere bonos præpoſtera quæque. Mamilla
Sed tibi ſub læva quiddam ſalit; haud tibi acumen
Mentis abeſt, imo nimis eſt ſubtile: penetrat
Nam craſſam raro tam elata ſuperbia frontem.
Dicis ut abſurdum, atque a vero turpiter erras,
Siquis vel ridet, vel corripit impatiens; os
Purpura ſuffundit ſubito tibi multa. Pudorem,
Qui longe eſt omnes pulcherrimus ante colores,
Crederet eſſe, fores cui non ſat notus; at ira eſt,
Eſt furor; abſurdum nam abſurdis pluribus urges,
Ulla nec eſt hominis tibi, nec reverentia veri.

Tur-

[a] Moria, ſive ſtultitia.

Digitized by Google

Turpius eſt quidquam, quid iniquius? Ultro doceris,
„ Et neſcire pudens prave, quam diſcere mavis. [a]
Te coram voces ſociis vireſque loquendi
Deſunt: dicit enim quiſquis quodcunque, refellis, [b]
Aut muſſas, donec quod habes, opponere contra
Poſceris: opponis ſubito pugnantia ſecum;
Siquid & effaris rectum uſquam, protinus utris
More tumes pleni. Tibi enim ſolum eſt cacoëthes
Te oſtentare, oculos cunctorum & vertere in unum.
Vertimus, ARTEMIDORE, ſed ut vertiſſe ſolemus,
Quum monſtrant hominem bino cum corpore & uno
Vertice, vel quatuor manibus, vel duplice naſo.
Denique te ut monſtrum aſpicimus, cui humana figura eſt
Exterius formoſa, atque omnibus integra membris.
Sed pars illa Deo ſimilis, mens conſcia veri,
Quæ facit una hominem, pars in te perdidit illa,
ARTIMEDORE, decus, meliorem perdidit in te
Dotem animi; curva eſt, enormis, proxima brutis.
  Finge animo durum ingenium, rude, debile, nullum,
Sit tamen id docile; una plus ediſcet in hora,
Integro quam tu, ſapiens ſtultiſſime, luſtro.
Aures præbebit, quod non capiet, ſibi rurſus
Comiter urgebit repeti, ſummittet honeſtam
Frontem, ſervabit demum alta ſilentia: nullum eſt
Clarius indicium juvenis gnarique bonique.
At finge illud idem magnum, perlucidum, acutum,
Sed fræni impatiens ſtimulique: malum artibus omen,
Moribus & pejus dico, ARTEMIDORE. Fuerunt
Indocti omnes indociles, vitiiſque notati.
  Si libet ergo hodie pactum ſtatuemus utrinque:
Aut mihi parebis nil præter juſta jubenti,
Aut ad te verbum dicam non amplius ullum.

SER-

a In Art. Poët.

b *Cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenii multo moleſtiſſima.* Divin. in Verr.

SERMO QUINTUS.

Thelesinum ingenuum juvenem puellæ plebejæ amore captum ab incœpto deterrere conatur, exponens quot quantaque hinc mala proveniant.

QUid tuus iſte color ſine ſanguine? quid, Thelesine,
Per totum macies vultum diffuſa recenter
Indicat? Ex oculis effugit ſomnus, opimæ
Deſipiunt epulæ tibi, deſipit humor Jacchi.
Amplius haud rides, ſolito neque more jocaris.
Qui mihi nuper eras, totus mutatus ab illo es.
Noſter, ut ante, tibi non gratus ſermo, nec uſus
Priſtinæ amicitiæ jucundus: corpore præſens
Es mihi, mens volitat longe per inane. Quod, oro,
Quod genus eſt iſtuc morbi, Thelesine, tibi te
Qui rapit, antiquumque mihi furatur amicum? [a]
Aſtrologum facies tua me facit, & tua vatem
Lumina. In inficias non ibis, amore laboras.
Hujus enim ſunt hæc ſymptomata ſingula morbi.
Quid remedj? Superat reliquos hæc intima morbos
Peſtis; amatur enim teterrima peſtis ab ægro. [b]
Si jaculis, Thelesine, fores alicujus Eliſæ,
Aut certo validæ percuſſus Amazonis arcu,
Deploranda minus tua ſors foret: æquum Hymenæus
Par etenim poſſet ſtabili conjungere nodo.

At

a *Dii boni! quid hoc morbi eſt? adeon' homines immutarier Ex amore, ut non noſcas eundem eſſe?* Ter. in Eunuc.

b *Hoc ſæviſſimum, quod nemo vult in amore ſanari.* Quintilian. declam. 15.

Sed notum, ſuccenſa tua eſt quo ſulphure flamma,
Notum ubi verſaris noctuque diuque, quibuſque
Deliciis gaudes. Heu rerum oblite tuarum!
Te Nigrina tenet lotricis filia, cani
Et veteratoris: maternam deſpicit artem
Cantrix, ſed multum didicit retinetque paternæ.
Totam habet in vultu dotem atque in voce doloſa
Totam virtutem. Patula ſpectare feneſtra
Mos eſt improbulæ, numerare ars prætereuntes,
Allicere & ſtolidos manifeſta in retia turdos.
Suntne hucuſque tibi, turdorum nam unus & horum,
Incolumes plumæ? Miſer o THELESINE, Cupido
Eſt nudus, ſimiles facit & ſibi dirus amantes.
Orbat luce oculos, mentem ratione, crumenam
Auro: de Crœſo nam quolibet efficit Irum.
Teſtis es ipſe. Agedum mihi jam fateare, Nigrinæ
Argenti quantum facti infectique dediſti.
Diſtinctas auro crepidas pallamque imitantem
Floribus & vivo ridentia prata colore
Unde habet? unde periſcelidas colloque micantes
Baccas? unde baſim, ſtatua quæ longior ipſa eſt?
Tam nitido in cultu, tanto in ſplendore & odore
Eſt rei, THELESINE, tuæ bona portio. Servis
Mercedem debes ſemeſtrem, pro lare proque
Non modicis epulis integro emunctus ab anno
Nil perſolviſti. Tua clamitat hoſpita Baſſa.
Pro nitidis tonſor cincinnis, dimidiis pro
Calceolis ſutor, proque uſibus omnibus omnes
Muſſant artifices clarum, ulteriuſque recuſant
Vendere opus verbis, nec adhuc traxere, verentes
Patricium, ad Prætorem. Una eſt contenta Nigrina,
Cujus in immanem fluxerunt omnia luxum.
Euge, bene, egregie, prudenter, magnificeque!
Quid ſupereſt, præter ſolennia dona faceſque?

Macte animo, cœptis inſiſte illuſtribus, urge
Nobile conjugium: bis ſenos nam bonus annos
Te genitor ſumtu ingenti curavit in Urbe
Hunc ſuſtentari in finem, hoc ad opus memorandum
Audiet ut digno de nato talia, quanto
Exiliet plauſu! quanta fraterque ſororque
Lætitia! ante omnes quanta fauſtiſſima mater?
Noſtra o, clamabunt, heros de ſtirpe creatus!
O decus, o ingens antiquæ gloria gentis!
Ecce nurum ſocrus jamjam amplexura virumque
Limine ab ornato procedit. Panditur aula
Splendida imaginibus majorum. Addenda vetuſtis
Poſcit imago locum nova. Pingito, Zeuxi, Nigrinam,
Stemma, genus, dotem ſubſcribito, & addito vitam,
Si libet: inde inter matronas ponito avitis
Illuſtres titulis, illuſtres fortibus auſis.
O pudor! o toto manſurum dedecus ævo!
Tantulus eſt ſenſus naturæ, tantula reſtat
Pars tibi cordis, & hæc te non infamia terret?
At nitor fruſtra ſervare perire volentem. [a]
Sermo omnis contra Nigrinam præterit aures.
Tantum cæcus amor juvenilia pectora turbat.
Ergo perge tuum, veſane, reviſere ſolem,
Perge tuos luſtrare illo fulgore triumphos.
Ito, tibi injicitur per me mora nulla; tenere
Quis ſine fune etenim furioſum poſſet amantem?
Hærent terrificis ſuſpenſa cadavera tignis,
Aut variis pendent diſſecti e quercubus artus,
Ut ſe a flagitiis, qui non virtute moventur,
Terrore abſtineant. Quem ſtultus deſpicit, hunc vos
Sermonem, ingenui Juvenes, audite, futurum
Securique metus monumentum, conſiliique.
Incauti poſtquam THELESINI in pectore vulnus

Fe-

a *Qui in hoc mare ſemel delatus eſt, huic exitus in poſterũ non patet.* Philoſt. ep. 49.

Fecit amor ſæva tygre, ſævo ſævior urſo:
Languit: hinc factus juvene ex florente cadaver
Palluit horrendum: quin membra cadaveris uno
Non hæſere loco: ſparſæ hinc aureſque oculique,
Inde caput ſine mente: animæ quæcunque ſupellex,
Fortunæ late effuſa eſt quæcunque; pependit
Denique cor ramo ſalicis fragiliſve geniſtæ.
 Nullo Nigrinas omnes diſcrimine, nullo
Albinas omnes fugite, o quicunque vetuſto
Stemmate fulgetis. Nam vincunt corda potenti
Philtro, prævertunt connubia Numine lævo,
Quæ ſequitur maleſuada fames [a] & turpis egeſtas. [b]

SERMO SEXTUS.

Lentulum domeſticam curam turpiter negligentem jocoſe arguit, oſtenditque, id, quod nonnulli prudentiam vocant, ſtuporem eſſe ac ſocordiam.

QUi primum nato impoſuit tibi, Lentule, nomen,
Augur erat: vir enim factus lentiſſimus ad res
Evaſiſti omnes. Longo dum preſſa dolore
Te pareret mater, Lucinæ munus obivit
Torpedo, fuit obſtetrix remora, ubera labris
Admovit teſtudo, picem glutenve tepenti
In latice affricuit tibi circum corpora lotrix:

a Primis illis furioſis amoribus reſtinctis novi ſuccedunt.

b Hujuſmodi inauſpicatos conjuges eorumque prolem ad inopiam redigi quotidiana experientia docet.

Denique quidquid eo fuit uncum tempore, quidquid
Viſcoſum, torpens, tardum, influxit tibi totum
In cunas, movit quas nulla ſororcula, nullus
Verna. Negas? Te verba movent hæc noſtra minus quam
Paſquilli ſtatuam. Vitium eſt iraſcier, inquis.
At majus vitium eſt non poſſe iraſcier [a]. Eja
Iraſcare ſemel: tua namque negocia peſſum
Hac bonitate abeunt. Potat tibi ſervula vinum,
Carbonemque oleumque coquus, crudumque tepenſque
Portat nocte domum, atque uxorem lautius ipſo
Nutrit hero. Expilant te coram ſcrinia nati,
Te coram rixantur, hiant, & vertice tecto
Hic ſedet, ille cubat ſcamno ſuper omnia fœde
Diſcinctus. Vetito miſcent convicia ludo
Servi non ab hero procul; ad me haud pertinet iſtuc,
Inquit is, affirmat cunctas per Erinnyes ille.
Atria & interea ſordent, & aranea telas
Ducit ubique domo in ceſſante magiſtra laboris.
  Pareat ecquis enim domino, cui Pythias audax
Imperat, & timido quandoque irata minatur?
Harpyæ juſſu facis hujus, quod nec amici,
Nec potis ulla tibi eſt rerum ſuadere tuarum
Utilitas. Fundi ſepem cecidiſſe moneris,
Et cum fure pecus ſata devaſtare: videbo
Cras, inquis. Pluviam ſuggrundia mota cadentem
Admittunt ſuper uſque toros; cras, inquis, hiatum
Claudemus. Matura nimis ſeges excita vento
Diſperdit cererem, tactu contaminat uvam
Livida ſinceram, ſitienti citrea in horto
Poma cadunt, pereunt fructus, moriuntur & herbæ.
Cras, inquis, ſegetem, cras uvam, citrea, fructus,
Omnia

a *Ira calcar eſt virtutis: hac erepta inermis animus, & ad conatus magnos piger inerſque.* Sen. l. 3. de Ira cap. 8. *Utendum autem ira, non ut Duce, ſed ut milite.* Ariſtot. lib. 1. de Ira cap. 9.

Omnia cras demum curabimus. Euge, cerebrum
Cura hodie, cura ſocordia pectora: ſæpe
Nam facit una malum nox irreparabile. Quanto
Tempore cras iſtud feſſi expectabimus? [a] Ædes,
Expectando cadunt, ſterileſcunt prædia, tota
Res perit. Imo tibi periit poſt utile, quantum,
LENTULE, honeſtatis? Tempus teris omne, quod una eſt
Virtutis menſura. Die prudentia creſcit,
Fit conſtans animus, largus, pius, integer, æquus.
Hac ratione carent pueri virtute, nec artes
Noverunt, dormire boni, nugarier, eſſe.
Luſtris quid multis tu laudis adeptus es, & qua
Re geſta? Ante focum palmis nunc pronus apertis,
Nunc reſupinatus ſediſti menſibus octo,
Sudaſti reliquis, ſed grande agitando flabellum.
Aſt animo reputo, longaque indagine rimor,
Quid ſit opus, quid non. Meditatio ſeria nullam
Rem fruſtra aggreditur: properantibus omnia deque
Suſque abeunt. Me, ſtulte, vetas imitarier illum,
Qui olim cunctando Romanam reſtituit rem?
Reſtituit ſiquidem Fabius cunctando, quod hoſtis
Annibal & vitiis & ſumtu & tempore ſenſim
Conficiebatur. Cunctanti quum mala per ſe
Avertuntur, ineſt ſapientia: quum mala creſcunt,
Stultum eſt cunctari, nec fortem opponere murum.
Curio Nomenti fuit olim abdomiue magno,
Tranquilloque animo, quod-ei ſors-cunque tuliſſet.

Poſt

---

a *Cras te victurum, cras dicis, Poſthume, ſemper,*
Dic mihi cras iſtud, Poſthume, quando venit?
Quam longe eſt cras iſtud? ubi eſt, aut unde petendum?
Numquid apud Parthos, Armeniosque latet?
Jam cras iſtud habet Priami, vel Neſtoris annos;
Cras iſtud quanti, dic mihi, poſſit emi?
Cras vives: hodie jam vivere, Poſthume, ſerum eſt:
Ille ſapit quisquis, Poſthume, vixit heri. Mart. l. 5. ep. 58.

Poſt epulum de more uber lautumque cubabat
Molliter, & toto perflabat pectore ſomnum.
Ecce autem clamans horrendum ſerva cucurrit,
Nunciat & totam ſævo igne ardere culinam,
Perque volutari vicina cubicula flammas.
Ille experrectus paulum caput erigit atque,
Surgendumne, inquit, confeſtim? Fumus iniret
Quanquam os, & crepitans aures pervaderet ignis.
Ad vivum depicta tua eſt hæc, LENTULE, imago.
Ardet in æde tua gula: nati ficedulas &
Mullos eſuriunt, ſitiunt & Maſſica pura.
Ardet cum luxu ſocordia, fumus & atrum
Neſcio quid redolet grave naribus atque timendum.
Haſce faces inter dormis. Clamamus amici
Certatim; euge, volant ad ſummum incendia tectum,
LENTULE. Tu pingui nos adſpicis ore, petiſque
Surgere num ſit opus. Dum ſemiſopitus oberras
Plurima conſultans, recti via, ſiqua patebat,
Obruitur, redeunt ad avita animalia [a] mores.
O prudentem hominem formatum more, modoque
Temporis hujus! Agas, ut de te nemo queratur,
Ut tranquilli omnes vivant, faciantque beati
Quidlibet. Os, oculos, aures tu claude, moleſtus
Ne tibi ſis aliiſque. Hodie hæc prudentia regnat.
LENTULE, qui tempus pretioſius æſtimo totis
Divitiis Arabum, vereor ne plura loquendo
Tecum illud perdam: namque audis me modo eodem
Vultu, iſdem oculis, quibus audiſti incipientem.
Hoc eſt indicium, quod ahuc ſis LENTULUS intus.
At forte eſt animi moderatio, forte triumphus
Victæ iræ; nolo tibi quidquam demere laudis,
Debita ſiqua tibi eſt. Bonus es clemenſque faviſque
Dul-

a *Fuit quoddam tempus, quum in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, nec ratione animi quidquam adminiſtrabant.* Cic. l. 1. de Invent.

Dulcior, at ſtomachis bileſcunt dulcia multis.
Fert punctum Veneris [a], qui dulci miſcet amarum.

SERMO SEPTIMUS.

Reprehendit ſciolos aliquos, qui ſibi tanquam magiſtris aliorum plaudunt, & falſam ac perniciosam interdum ſcientiam apud vulgum venditant.

HOc quis idem de ſe præſenti tempore ſentit,
Quod Sophos [b] antiquus, qui ſolum hoc ingenue ſe
Scire fatebatur, quod nil ſciret? Sapientes
Paſſim hodie invenies, & apud nos vulgo oriuntur,
Omnia qui nôrunt, quos cunis Pallas in ipſis
Uberibus veri plenis lactavit, & ora
Hiſtoriæ ſucco implevit, Sophiæque medullis.
Noſtras hi noctes rident longoſque labores
Et modicam frugem. Illorum fert omnia tellus
Sponte ſua, nullo verſata ligone nec ullo
Vomere ſciſſa. Neges ne forte, quod ordiar, audi.
Æger erat nuper Chryſippus. Ut aſſolet, illum
Viſit amicorum longiſſima turba, ſedentque
Hi circum atque alii lecto ſuper, inque feneſtris
Stat bona pars. Vario recreant ſermone jacentem.
En tibi in anguſtam jam cellam Papilus intrat,
Papilus ille bonæ verſatus in arte culinæ,

Sed

a Venus eſt talorum jactus ex quatuor conſurgens talis diverſam faciem oſtendentibus. *Talis autem jactatis, denarios tollebat univerſos, qui Venerem jecerat*. Suet. in Aug. c.18.

b Socrates.

Sed novus in medica : nam nunquam mercle Galenum ,
Hippocratem nunquam vidit , nec novit utrum per
Venas circumeat ſanguis, quotieſque diei
Unius ſpatio totus præterfluat [a]. Ille ;
Quidquid id eſt, dederat vix nobis ore ſalutem,
Ægrum adit, & dextram petit anxius, inde ſiniſtram,
Atque diu pulſum pertentat utrumque , matellam
Suſpicit, & linguam : tum circiter intuitus nos
Aſſidet, &, cura hac nunquam ſanabitur æger,
Inquit ; ineſt medicis nam tanta inſcitia noſtris ..
Cetera Cryſippo pronus muſſavit in aurem
Et nova propoſuit, peregrinaque pharmaca . Credes?
Illum conſulimus cuncti . Nam quis ſine morbo eſt
Membrorum aut cerebri ? Poſcit collyria lippis
Hic oculis, ille ignavo cataplaſma tumori:
Hic caput, ille latus queritur. Stomacho medicinam
Poſco ego ; namque mihi ſtomachus poſt prandium aceſcit.
Reſpondet modulans ſermonem voce manuque .
Maturus cedri cortex ſectuſque minutim
Atque incoctus aqua triplici cum dragmate mellis
Mane tibi ter potus erit medicamen , aceto
Nec rurſus ſumtis epulis vexabere . Dixit,
Totaque turba novo dicente Machaone plauſit .
Fama viri tanti volitat, jamque undique ad illum
Curritur . Heu ! nobis adeo contermina mors eſt .

Pa-

a Phyſici recentiores revocant ad hunc calculum . Supponunt cavitatem ſiniſtram cordis continere duas uncias ſanguinis , quo pene toto evacuatur , quoties cor contrahitur. Ea autem quantitas ſanguinis ex corde influens in magnam arteriam , pulſum unum , ſeu pulſationem efficit , quod uno minuto contingit ad minus ſexagies. Una igitur hora 3600es, ex quo infertur , quacunque hora per cor fluere 7200. uncias ſanguinis , quæ efficiunt 600. libras . Si ergo in humano corpore ſunt 25. libræ ſanguinis, conſequetur una hora totum ſanguinem fluere per cor vicies quater , & uno die quingenties ſeptuagies ſexies ; quod totum ſummam efficit librarum 14400. Quanta in motu inſenſibili rapiditas ! Quam admirabilis Conditoris noſtri Potentia , & Sapientia ! Vid. int. alios Bern. Nieuvvent. in Vero uſu Contempl. Mundi .

by Google

Papilus at tanto non corpora noſtra periclo
Tractat, quanto animas Proculeius. Id licet illi,
Quod libet, hoc mores ſyſtemate dirigit uno.
Si libet ulciſci, licet ultio: namque ideo ungues
Et bilem natura dedit, juſſitque tueri
Quemque ſuum nomen, nihil & præponere honori.
Quidquid avarities, quidquid veſana libido
Suaſit, poſſe aliqua fieri ratione modoque
Contendit: potis eſt quod nemo reſiſtere amori,
Aut quod ſemper abeſt curtis bona portio rebus,
Quodque dolis cuicunque licet communibus uti.
Mentiri urbanum eſt: nam verum lædit amicos.
Iccirco ignoret licet omnia Silius, aſtra
Ferto ſuper doctrinæ laude, licetque Camilla
Luſca ſit, hanc oculos Veneris vultumque Dianæ
Intrepidus dic habere. Humeros quum vertet uterque
Hunc Bavium dices, hanc Gorgona: namque loquendi
Nocturnis ſeges eſt conventibus atque diurnis
Præſentum laudare, abſentum carpere vitam.

Noſtras hæc tu ergo conflas incendia in ædes,
Nec tenſum metuis, geſtat quem Jupiter arcum?
Heus, bene ducendæ, Proculei, dogmata vitæ
Non natura dabit; nec enim diſtinguit honeſtum
Capta tot illecebras inter mentiſque tumultus.
Conſule, quam legem Superûm Pater indidit imis
Senſibus, idque, quod interius te ſæpe remordet.
Verſa Majorum leges & ſancta vetuſtæ
Ætatis monumenta, alia & ſententia menti
Surget, & in patulo gradieris tramite recti.
Tunc mihi doctor eris morum vitæque magiſter.

Sed non humano generi quicunqne putat ſe
Scire, vel eſſe aliquid, ſemper nocet; imo relaxant
Multi animos, riſumque movent. Quis non Cato ponat
Triſte ſupercilium, quum noſter Mævius œſtro

Percitus, undivomos equitat delphinas Arion
Alter, & algentes medio urit in æquore Nymphas,
Auritoſque trahit ſcopulos, atque humida regna
Temperat attonito vocis modulamine Nereo?

Quis non excipiat magno te, Flacce, cachinno,
Gallica qui in cœtu dicis liberrimus omni
Verba ſolœciſmis fœcunda, tonaſque ſuperbus
Puram Sorbonam? Ligerim tamen eſſe doces nos
Magnam urbem, Juram fluvium, Vogeſumque paludem.
Scilicet eſt illi tredecim luſtrata diebus
Gallia tota, loqui Gallo ſermone diſerte
Edidicit totidem. Mirantur at Itala virgo
Et mater, gaudentque novo diſcuntque magiſtro.

Si fuſo has poſito delectat diſcere ſacram
Hiſtoriam (ſiquidem Synodos & Dogmata Patrum
Lectitat, & ſacri rimatur viſcera Libri [a]
Multa hodie doctor mulier [b]) monſtrabo magiſtrum
Plurima callentem, Flacco nec forte ſecundum.

Cœtus habebatur doctorum nuper, eramque
Si minus ex his, ex cœtu tamen unus. Agebat
De vita quidam priſcorum & moribus, ad nos
Perveniſſe querens nil præter furfur inanem
Et paleam. Quis enim jejunia noſtra preceſque
Comparet antiquis? ajebat: quis revocatus
Priſco de tumulo priſcæ veſtigia vitæ
Nunc ulla inveniat? Protenſis auribus unus
Jamdudum adſtabat, tanſaque ſilentia dextra
Imperat, & pleno de pectore multa reponit.

Tum

a Satius eſſet ſi doctæ hujuſmodi fœminæ nihil præter unam, alteramve ſententiam ſcirent & citarent ex Sacris Literis. v. g. Salomonis Prov. 31. *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum ... & digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Aut D. Pauli 1. Cor. 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant ... Siquid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.*

b Alludit ad Comœdiam Gallico ſermone ſcriptam, cui titulus: *La Femme Docteur.*

Tum vocem intendens; peſſum dedit hæreſis, inquit,
Una pias gentes, & rupit fœdera. Nomen
Sed fatale fugit modo me. Prædicimus omnes
Nomina multa. Sabelline? abnuit. Anne Manetis?
Haud hujus larvæ. Fors Neſtorii, vel Arii?
Neutrius. An quiſquam priſcorum? Non ego tempus
Supputo: at hæreſiarcha modo quoque ſævit, & urget
Ingentem turbam. Calvinum hic, ille Lutherum
Suggerit. Haud horum quiſquam, reſpondet, & ungues
Rodit, & irritat repetito verbere frontem.

Omnes intenta dum turpia mente volutant
Nomina, circum oculos exultans volvit, & ohe!
Inveni, exclamat: jam plaudite. Lethifer ille eſt
Ille Rigoriſmus [a]. Dicendo fervet, ut omnes
Riſu improviſo diſrumpimur ilia, & alter
Alterius nixus ſcapulis lacrimatur. At ille
Serius atrum hominem diris vovet omnibus atque
Imo Orco, patitur nec quemquam dicere contra.
Quodque magis mireris, homo eſt canuſque togatuſque, [b]
Et qui hominum mores multorum vidit & urbes.
Mi male res vertant, ſi te hoc narrando fefelli.

Ille ſenex riſum movet, iſte juvenculus iram,
Iſte mihi a læva, quem multi nomine dicunt
Mercurium, reliqui ſed rectius Ardelionem.
Eſt primum imberbis, nec adhuc bene quinque peregit
Luſtra; tamen quiſquis ſermo incidit, inſerit audax
Se medium, vult atque chorum moderarier unus.
Auctorum didicit denſiſſima nomina, frontes
Multorum inſpexit tituloſque typoſque librorum.
Audivitque tuum Syſtema, Copernice, Ticho,
Audivitque tuum: vidit numeroſque cruceſque
Algebræ, ſoliſque viam, cœlique meatus,
Et terram omniparam, & phænomiferum aera, & æquor

a *Rigoriſmum* credebat eſſe hominem. b Obiit magno eruditionis fato.

Ennoſigeum. Ut me paucis, coſmum & mycrocoſmum.
Ingerit hæc repetit, refricat, requoquitque moleſtus
Omnia in omne loco, noſtraſque interficit aures.

Huic aliud tam multiplici decus adde Sophiæ.
Novit enim Procerum ſecreta, & murmura vulgi,
Nomine quemque ſuo vocat, atque negocia ſolus
Omnium agit, mutat, vendit, licitatur, emitque,
Et facit, ut facias. Sibi prætor nomina dixit
Proſcriptorum, uxor ſibi Conſulis acta ſenatus
Omnia narravit. Fruſtra, Maro, habere cupiſti
Centum ora & centum linguas; ſervatur in iſtam
Monſtrum hoc ætatem: loquitur mihi plurimus ore hoc,
Huic alio, linqua compellat Symmachon una,
Calliodorum alia. Si ullo vos tempore, Muſæ,
Aras ſi veſtras colui, & medicria dixi
Carmina, adeſte precor mihi nunc, & grande periclum
Hinc arcete, hominem procul amandate profanum.
Polliceor vobis flores apiumque hederamque.
Quod ſi me pœnas violati numinis uſquam
Veſtri a me luere optatis, non abnuo: quovis
Ibo, quidquid agam, a me dummodo diſtet hirudo hæc.
Perpetuus Samuelis [a] ero comes, omnia pronis
Auribus accipiam verba illius: haud querar, ut me
Veſte trahet, tectumque libens, olidamque tabernam
Ingrediar; cernam ligulas, femoralia, cuncta &
Fruſta lucernarum: nova credam quæque, videbo
Repentes quamvis blattas & plurima cribra;
Omnia denique agam Calepino liber ab iſto.

Audior haud ſolum impunis, ſed munere magno
Pieridum ornatus; namque, optime Galle, mihi ſis
Obvius, & ſævo miſerum diſcrimine ſolvis.

Quæ

a Samuel pro quocunque Judæo. Judæi autem præcipue Romæ nihil non agunt, ut merces ſuas vendirent. Circumſtant, orant, trahunt per veſtes, enecant demum imperitos & advenas, quibus per eorum vicum tranſire contigerit.

Quæ docti ignorant multi, fumum cupientes
Vendere, noviſti, nec ubique oſtendere tentas.
Dicendi polles vi cum oratore, poëtis
Carmine reſpondes afflatus Apolline multo.
Nactus es hiſtoricum? Græcam, Latiamque renarras
Hiſtoriam: rerum naturam diſcutis inter
Philoſophos: agili revolutas arte choreas
Ducis, ubi matrona decens & virgo pudica
Lætæ conveniunt: armis, ubi ludrica Martis
Prælia miſcentur, certaſque, referſque coronam.
Quid de pingendi, calamis, fidibuſque canendi
Arte loquar? Docto facis ore manuque magiſtra
Quæque vides. Cunctas in res tibi tanta facultas.
Non tamen his turges: nam notis plura vides te
Ignorare, pudet nec palmam cedere multis.
Socratica eſt laus magna animos compeſcere norma.

SERMO OCTAVUS.

Sanctonicum ſimulatorem probitatis corripit, & conatur ad bonam frugem revocare. Nonnulla ejus vitia ei ob oculos exponit. Hortatur, ut talis eſſe curet, qualis cupit videri.

DONEC te ſola novi, SANCTONICE, fama,
Nil mercle integrius, nil ſanctius eſſe putabam.
Omnia credebam: deerant miracula ſola,
Ut tua proclivi colerem veſtigia fronte,
Eque via greſſus te prætereunte referrem,
Siſtere non auſus, non auſus tangere veſtem.
Heu quantum nocuit multis, SANCTONICE, ſe inter
Inſi-

Digitized by Google

Inſinuare homines, animumque offerre videndum!
Ex quo te propius vidi, tua verba pependi,
Inſpexi mores, menſus ſum a vertice ad imum;
Eſſe aliorum hominum ſimilis mihi viſus es, atque
Ut verum fatear, meliorem forte putavi
Te Cinnam, ficta qui nil probitate colorat.
Quid noſtros oculos inſpergis pulvere, quum non
Fallere eum poſſis, qui fixit lumina cælo,
Quique dedit colubros & acutum cernere lyncas?
Uſque modo nobis fama es dominatus, iniquum
Sed modo quaſſo jugum, falſis & vera repono:
Nam nequit hic alio pelli medicamine morbus.
Immortali animæ junxerunt Numina corpus
Tanquam mancipium dominæ ſervire paratum,
Poſcit ubi virtus, ubi publica poſcit egeſtas. [a]
In cute curanda, SANCTONICE, totus es, aut quum
Abditus in pluma tranquillo pectore ſomnum
Perflas in lucem multam, aut lodice relicta
Omnia ſolicitus quum quæris Commoda [b], nil nos
Noſtraque procurans, tibi dummodo ſit bene ſoli.
Quis dicat tenero quam ſit tibi lingua palato
Delicioſa? Cibos vulgares olfacis, atque
Corrugas naſum: nec enim ſapor ille papillas
Vellicat, aut grato permulcet acumine fibras. [c]
Haud ita faſtidis truttam, mullum, oſtrea, jure

Quæ

a Nihil novi videtur ſtatuiſſe Chriſtiana Ethica, quum ſtatuit corpus in ſervitutem redigendum. Nam Cicero: *exercendum eſt corpus*, inquit, *& ita efficiendum, ut obedire conſilio rationique poſſit in exequendis negociis & in labore tolerando*. 1. Offic.

Major ſum, & ad majora genitus, quam ut ſim mancipium corporis mei. Sen. ep. 65.

b *Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore*. Sen. ep. 14.

c *Nec ſibi cœnarum quivis temere*
arroget artem,
Ni prius exacta tenui ratione ſaporum...
Eſt operæ pretium duplicis pernoſcere juris
Naturam &c. Hor. l. 2. Sat. 4. ubi irridet Epicureos abdomini natos.

Quæ bonus immergit ſapido coquus; haud ita turdos
Ficedulaſque crocum referentes clunibus aureis,
Et lepores & apros, lento quos verſat in igne
Verua olidus, ſenſim inſpergens fumante butyro.
Forti convenit hæc homini gula, mollitieſque?
Nullus habet guſtum virtutis Apicius, uni
Natus non aliter, quam muta animalia ventri.

Jam quæ te mulier, vel quis te mollior infans
Rebus in adverſis? Palleſcis, ſpemque animumque
Deſpondens ſubito, quereris, lacrimaris, omittis
Omnia cœpta: animi eſt tibi vis tantilla puſilli.
Aſt hortabaris nos forti pectore contra
Adniti quidquid fortuna ſiniſtra tuliſſet.
Nam Deus eſt, rumpit qui gaudia noſtra, daturus
Multo olim majora. Igitur, SANCTONICE, dicta
Confirmas his exemplis, hoc pectore, vultu hoc?
Priſcorum hiſtorias facile eſt narrare, docere &
Verbis, paucorum eſt virtutem oſtendere factis.

Inſtat ſiquod opus, careat quod laude lucrove,
Indignaris, & hoc, inquis, non pertinet ad me: [a]
Et quod agis, quanquam rarum exiguumque ſit, illud
Multo teſte facis coram, aut mediocriter actum
Nobis amplificas narrans operamque modumque,
Et quo conſilio durum ſuperare laborem eſt
Conceſſum, & quanto viciſti obſtacula niſu,
Et quo cum populi ſtudio Procerumque favore.
Strenuus hinc una ſuperas facta omnia lingua.

Ad morbos animi quoniam devenimus ultro,
Vix & opinantes, in iis inſiſtere multum,
Eſt operæ pretium. Magni &, SANCTONICE, veri
Sunt

a *Si non ipſo honeſto movemur, ut viri boni ſimus, ſed utilitate aliqua atque fructu, callidi ſumus, non boni. Nam quid faciet is in tenebris, qui nihil timet niſi teſtem, vel judicem?... Qui virtutem pretio metiuntur, nullam virtutem, niſi malitiam putant.* Cic. 1. de Leg.

Sunt morbi, quanquam non ſentis [a]: imo minantur
Icciroo caſum graviorem, & taliter ægros
Igne ſolent medici curare, altumque ſtuporem
Excutere immiſſo vi ferro. In moribus autem
Saucius, eſt ſatis ut patientem præbeat aurem,
Atque fidem vero, curamque impendat honeſto.

Vanum eſt oſtentare humili, SANCTONICE, fronte
Virtutem: colit illa animum, penetrale verendum
Cordis habet dominans: hominem extra nomen inane eſt.
An tu humilis [b], qui gente nova ſatus, & mihi nota,
Semper avos memoras atavoſque, ubi ſanguine clari
Atque magis probitate viri decus illud, ut udum
Calcavere lutum, exemplumque ab origine priſca,
Non fumum cepere? Humilis tu, primus in omni
Qui cupis eſſe loco, triſti qui concidis ore,
Quum tibi quis titulos oblitus non dedit omnes,
Aut non exhibuit ſat prono vertice honorem?
Nil uſquam eſt vanum, ſi hoc non, SANCTONICE, vanum eſt.

At mihi ſuccenſes, vultumque oſtendis acerbum,
Audenti ambiguos animi penetrare receſſus.
Da veniam, quod ſum vitium dicturus, apertum eſt.
Si tibi momento non omni credimus, aut non
Aſſentimur iis, narras quæcunque probaſque,
Turbaris, clamas, dominaris, ut imperioſus
In ſervos herus, aut tardum induperator in agmen.
Adde & vindictæ, quo forte moveris, amorem.
Cur, ſiquis læſit me, vel pulſavit Amyntam,
Frigidus es, noſtroque malo nil tangeris? Imo
Corripis iratos, ſuadeſque ignoſcere ſonti.

Eſt

a *Ideo difficulter ad ſanitatem pervenimus, quia nos ægrotare neſcimus.* Sen. ep. 51.

b Humilitas, ut vides, hoc loco Aſcetarum ſenſu accipitur; nempe Virtus ea eximia, quæ fundamentum eſt ceterarum. Apud antiquos Latinos & nomen vile quiddam & abjectum ſignificabat, & Virtus prorſus ignorabatur.

Eſt animus ſiquidem parvus, quem injuria vincit.
Hæc tibi, quum res noſtra agitur, ſententia conſtat,
Digna quidem teſtiſque viri ſententia magni.
At tibi ſi nocuit dicto, factove quis, urſum
Tutius irritaviſſet: nam evadere ab urſo
Sæpe datum eſt, a te ſons nemo recedit inultus.
Ponticum ab officiis arces, Lepidumque ab honore
Deturbas; nobis coram hunc, nos carpis iniquo
Coram aliis animo. Luimus te judice pœnas
Noſtrorum ſcelerum, quæ Relligione revelas
Motus, & officio cenſoris. Nam quod iniqum eſt,
Non debet latuiſſe diu, ne ſerpat, & ulcus
Proferat in partem ſinceram, atque omnia perdat.
Hic ſancti flagrant impuris ignibus ignes,
Atque profana piæ miſta eſt, SANCTONICE, flammæ.
Nam virtus violata minus, quam injuria pungit
Te tua, & objecta virtute ulciſceris hoſtem.
Donec plena adeo tibi pendet mantica tergo,
Eja age, jam frugi vir deſine velle videri.
Sis potius. Non difficilis res ulla volenti eſt.
Certum ergo ad medium revocandi ſunt tibi mores,
Ultra quod, citraque nequit conſiſtere rectum.
Numinis effigiem quondam efformare Sacerdos
Mente volutabat, quum pruno occurrit, & illam
Protinus admota tondetque ruitque ſecuri,
Atque orditur opus. Rectum de robore curvo
Ut faceret, geminare ictus & vulnera anhelus
Debuit, & tenuis ſuperavit portio trunci.
Ut frontem cœpit formare aureſque oculoſque,
Incidit in nodos, ferrumque hebetavit acutum
Vincere duritiem conſtans: ſed in ore remanſit
Læve licet, nævus multus, nec corpore toto
Defuit. At gnavus livit gypſumque coloremque
Antiſtes, ſimulacrum & caſtigavit ad unguem,


Et plebi expoſuit devotæ [a] rite colendum.
Ex pruno tantus labor eſt effingere Numen.
Nos ipſi ſumus obliquæ, SANCTONICE, pruni,
Nodoſæque; ſacrum quemque ut redigamur ad uſum,
Multo opus eſt ferro, multaque bipenne, recidat
Quæ trunci vitia, & ramos abſcindat inanes.
Uni tanta penus ventri non convenit, unum
Non tot eget tunicis corpus. Gaza additur arcæ
Quid nova, ubi brevior reſtat via, funus & inſtat
Jam cano capiti [b]? Quid fumus, & aura popelli
Debilibus lippiſque oculis cerebroque caduco?
Hæc ſunt abſcindenda irritamenta malorum
Omnia, & incipies ex curva prunus habere
Formæ aliquid rectæ. Sed non hæc ultima rerum eſt.
Nitere concretos quoque pruno evellere nodos.
Sunt, qui nobiſcum creſcunt, SANCTONICE, nodi,
Non aliter tumuiſſe animo, quam rana, ſuperbo,
Atque ſibi ſoli mentem & partes ſapientis
Contemtis aliis committere: protinus ira
Quidquid ob adverſum ebullire, ac poſcere pœnas:
Velle omnes ſervire ſibi, ſe ſubdere nulli.
Nodorum ſeries horum eſt vincenda, priuſquam
Oſcula, vota, preces populi mereatur imago:
Et ſiquis ſupereſt nævus, quo nemo carere
Eſt unquam viſus, niſi pauci Numine pleni;
Expolias, patienſve feras. Fac denique de te
Auxilio Superûm, quod fecit rite Sacerdos
De pruno, & melior prima nova fama redibit;
Sectantem at fugiet levis, æternumque latebit. [c]

LIBER

a Propenſæ ad Religionem ſecundum ſignificationem Chriſtianæ Legis.

b *Poteſt quidquam eſſe abſurdius, quam quo minus via reſtat, eo plus viatici quærere?* Cat. Mag.

c *Gloria umbra virtutis eſt: fugientes magis ac magis ſequitur.* Sen. de Benef. c. 1.



LIBER TERTIUS
SERMO PRIMUS.

Laudat BENEDICTUM XIV. P. O. M. præcipue ob animi nitorem, ac ſinceritatem. Tranſit hinc ad perſtringendam ſimulationem, ac fraudes, quarum cauſæ præcipuæ ſunt avaritia & ambitio: deinde ad Pontificis laudes regreditur.

PRIMA Te quanquam dignum, BENEDICTE, Thiara
Omnia conſtituant, priſco de ſanguine origo [a]
Scilicet, & vultus Majeſtas & vigor ævi
Et Patris bonitas & rebus nata gerendis
Dexteritas & vita bonas traducta per artes
Et probitas & Relligio, qua cedere nulli
Sueviſti a puero: tamen his magis omnibus una

L 2 Me

a Lambertus Nobilis Germanus cum Othone Magno in Italiam venit, ubi præclariſſimæ Gentis Lambertinæ auctor fuit. Vid. Hiſt. Bononien.

Me movet, atque rapit Virtus hoc tempore rara:
Nempe animi nitor ille oculis manifeſtus & ore,
Illa tenax veri ſententia, quæ Tibi in omni
Conſtitit officio, media & concrevit in aula.
Hæc, BENEDICTE, Deo ſimilem Te præſtitit æque,
Atque Petri Solium rerumque Suprema Poteſtas.
Namque Deum nobis oſtendit in omnia plenum
Non magis imperium, quam quod verum omne fideli
Pectore concluſit, nec quemquam fallere novit.
Noſtri o prodigium ſecli! quo fucus obumbrat
Omnia, nec ſenſus animorum verba revelant,
Verba fide priſca vacua & contraria factis.
Majorum ſanctos mores ſinceraque dicta
Turpis avaritia [a] infecit, corrupit iniqua
Ambitio [b]: vitium quod utrumque cupidine fervet
Immenſa, atque ad ſe trahere omnia nititur, ad quæ
Quum jus deficiat virtus & vera, neceſſe eſt
Fraudes atque dolos moliri, fingere vultus,
Pingere ſermonem, verborum invertere ſenſum.
At procul eſt peſtis Regum aſſentatio [c] noſtri
Principis a ſolio, ſanctiſque Penatibus. Ille eſt
Veræ laudis amans, hæc falſæ prodiga ſenſim
Incuſtoditas Magnorum illabitur aures,
Pervaditque animos, & dulci corda veneno
Imbuit. Ut nacta eſt male pronum pectus in iram,
Vindictam laudat, compellit & ultro volentem
Ulciſci: ſiquem tranſverſis aſpicit hirquis
Vultuque inceſſuque animi teſtarier ignem
Inceſti, pharetram gerit ipſa Cupidinis, arcum
Concutit, infligit nullo medicabile vulnus

Tem-

a *Corrupti ſunt depravatique mores admiratione divitiarum*. 2. Offic.

b *Maxime adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ cupiat oblivio, cum in bonorum cupiditatem inciderint*. 1. Offic.

c Diogenes interrogatus, quænam beſtia morſum haberet omnium nocentiſſimum, reſpondit: *Si de feris interrogas, eſt obtrectator, ſi de manſuetis, adulator*. Laërt. l. 9.

Tempore. Mentitis rationibus urget iniquam
Cauſam, ubi propendet judex; ubi ſacra profano
Ore quis attingit, convellit & impius, Obben
Induit, & fœdo Spinoſam pectore manat. [a]
Auſa nefas tantum, quod crimen grande putabit?
Cum lurcone guloſa vorat, vacuatque trientes
Cum potore; rapit, vel cœco ſubtrahit ungue
Cum latrone, facit cumque omnibus omnia. Solam
Temnit egeſtatem, nec lædere parva veretur
Corpora. Suſpicio de me ſiqua incidit Aulo,
Deque Lyco, melior mihi quo, nec amicior alter,
Hac fingente nefas, aut amplificante minuta,
Protinus efficimur Gyaris, aut carcere digni.
Ex nigro quid non album facit, aut ex albo
Nigrum? Adoleſcentes prognati ſanguine claro
Vix primo tacti rationis lumine vitæ
Omnibus obſeptum hinc vitiis, virtutibus illinc
Ingrediuntur iter: jam illorum ſedulus hæret
Palpator lateri; diſcrimen turpe & honeſtum
Nullum inter reputans connivet, ſi illecebroſis
Principiis ætas improvida flagitiorum
Se dederit, ſi ludo ſi dapibuſque meroque:
Frangi animum turpi concedit inertia, amori
Dat veniam, credit quæcunque licere juventæ.
Heu quam his ſeminibus patriæ ſeges ampla malorum
Imminet, hinc habitura quot eſt Reſpublica monſtra!
Cur potius juvenes, animus quibus integer atque
Nativus rubet ore color, quum quidlibet audent,
Vir mulierve gravi non increpat ore, ſecatque
Radicem vitii in duram quercum olim abituri,
Quam ſolum valido proſternet turbine lethum?

Cur

---

a *Semper auget aſſentatio id, quod is, cujus ad voluptatem dicitur, vult eſſe magnum*. Cic. in Læl.

Cur nemo dicat, quæ res eſt tantula, verum? [a]
Ne tantam recti trahat ignorantia turbam
In ſcelera & fraudes. Verum non audiit unquam
Picta & olens multa balanitide, nocte dieque
Septa viris Lalage, quam Numinis inſtar adorant,
Ni quod adorantes reverentia longius arcet
A ſtatuis Divûm. Verum non audiit unquam
Anſatus, tumidis buccis, ſermonis avarus,
Qui ſolus pulcher, dives, ſapienſque beatuſque
Eſt ſibi Fronto; ſumus nos turba & inutile vulgus.
Pauca quis hæc vacuas utrique ſuſurret in aures:
Quod ſic, Fronto, tumes, odium es juvenumque ſenumque.
Tu famæ, Lalage, ſtudioſior eſto ſecundæ.
Hoc nude dictum, ſincero & pectore curat
Sæpe graves morbos [b]. Eſt tanta potentia veri.
At verum illud ubi eſt? Spes lucri ſiqua refulget,
Merx antiqua nova eſt, corrupta annona ſalubris,
Luſcus cernit equus, corroſus tabe valet bos.
Nam quæ ſunt avidis injuſta negocia avaris?
Utile mentiri docet hos, mercede minori
Mos alios docet urbanus civilis & uſus.
Omnia mancipiis ſunt plena ad cuncta paratis
Servitia: obſequiis fervet via, fervet & aer
Nomine amicitiæ repetito iterumque iterumque.
Hiſce a mancipiis, ab amicis hiſce venuſtis
Poſce aliquid; color ore fugit, vox faucibus hæret
Conſpecto velut angue; domi cras eſſe negabit
Servus herum, quum pulſabis, fruſtraque redibis.

O qui-

a Quia hæc ſola eſſe videntur, *ex quibus verum ſæpiſſime auditur; pueritia, ſomnus, imprudentia, vinolentia, inſania*. Cic. in Topic.

b *Eſt interdum ita perſpicua veritas, ut eam infirmare nulla res poſſit*. Pro Quintio. C. Auguſto ſedenti pro tribunali ac mortis ſententiam in multos pronuncianti reddita ſunt per manus multitudinis tabellæ Mœcenatis inſcripto hoc monito: *Surge carnifex*. Surrexit illico Auguſtus, vitamque omnibus condonavit.

O quibus in latebris clauſa eſt nitidiſſima Zona, [a]
Zona auro pretioſa magis puriſque lapillis,
Quam fugiens terras Dea veri [b] pulſa reliquit?
Serpere nam falſum quum cerneret undique, fertur
Paucos antiqua virtute, fideque vocatos
Sic effata. Palam mihi vivere in orbe negatur,
Vertitur & vitio verum. Mens eſt remeare
Sedes ad ſuperas. Ne ſueti fallere, fallant
Vos quoque, linquo meam vobis, ac divido Zonam.
Incedet ſiquando animis formido, doloſe
Nequis agat dicatve, premet ſub pollice partem
Quiſque ſuam, quoties labiumque manumque movebit.
Quiſquis is eſt, illum coget nova dicere verum
Quæſtio, & urgebit tormentis valdius ipſis.
Namque inſenſibiles in conſcia pectora trudit
Particulas vero prægnantes perſpicuoque,
Evulſiſſe habiles falſum ab radicibus imis.
Illi conſilio firmati & munere Divæ
Noverunt fraudum artifices, vulpeſque doloſas
Altum riſerunt jejuno ventre abeuntes.
Horum erat in numero juvenis prudenſque probuſque,
Cui puero abſtulerant nummoſque domumque propinqui.
Nec mora: prædones notos in jus vocat. Illi
Soliciti ad teſtes concurrunt cauſidicoſque,
Addicuntque ſibi pretio. Nec enim ardua res eſt
Verba emere, & modico perjuria cogere lucro.
Ergo die dicta partes ſe judice coram
Siſtunt, turba ingens hinc, inde juvenculus unus.
Incipit Hermogenes clariſſima jura clientum
Pectore facundus proferre & maximus ore.
Tum juſſus cauſam juvenis defendere, dextram
Inſerit in loculos tacitus, premit atque potentem
Fu-

a Per Zonam hanc rationem & conſcientiam intellige, cujus præcipua lex eſt: *Non violare homines*. 1. Offic.

b Veritas.

Funiculum. Riſu dignum & mirabile viſu!
Pallet cauſidicus, voceſque in pectore tentat
Claudere, ſed fruſtra: invito labuntur ab ore.
Ergo ſe orditur contra, & ſua dicta refellens,
Non cadet hic, inquit, cauſa. Bona namque propinqui
Pupillo rapuere, & magna dicere contra
Mercede hos homines meque induxere [a]. Parabant
Talia dicentem jugulare; adeo ira pudorque
Mentem incendebant. Zona at cogente, fatemur,
Illi ajunt: falſum teſtes juravimus, ajunt:
Imo crucem meritum ſe clamat hic, ille triremem. [b]

Forte quis expectat, quid Judex fecerit. Ipſe
Palluit & judex ſeſe accuſare paratus
Multorum. Sed enim juvenis reverentia dextram
Continuit, poſita qui Zona ablata recepit,
Eque foro mirum! quod adiverat unus inopſque,
Victor multorumque opulentorumque receſſit.

O Zona! o de te quis filum mî dabit unum,
Quiſve meis, genti ingenuæ, dabit alterum amicis,
Quod circumpoſitas poſſit diſſolvere fraudes,
Et paraſitorum noſtro de limine turbam
Pellere? Continuo premerem, quum Gellius ad me
Ventitat, & Proceres numerat longo ordine, queis eſt
Junctus amicitia, recitat quos nomine nudo,
Et facit auctores longorum, quæ mihi narrat
Nunc ſuper Urbe, ſuper nunc Cæſare, commentorum.
Continuo premerem, quum ſchedas Gargilianus
Dat mihi pro nummis, vel quum me poſcit in aurem
Mutua pauca dies in ſex, ſeptemve Mamercus.
Quam ſævis tunc aſpicerent me luminibus, quam
Torva fronte! Tamen majora pericla caverem,

Hos

a *Adverſumne illum cauſam dicerem, cui veneram advocatus?* Terent. in Adelph.

b *Nam ſe Judice nemo nocens abſolvitur.* Juv.

Hos & ſeligerem, queis poſſem fidere tutus.
  At venti mea vota ferunt. Fraus peſtis ad inſtar
Aera corrumpit verbis effuſa, monetam
Inficit & pannos, ſubrepit in interiora
Tecta hominum, violat penetralia ſancta Deorum.
O quis nos miſeros monſtro ſervabit ab illo?
  Tu, PRINCEPS, fraudes contra & perjuria noſtrum es
Præſidium, ſonteſque dabunt Te vindice pœnas.
Falli non patitur tua Te ſapientia. Quanti
Conſtent res hominum noviſti, quamque caducis
Sint tibicinibus ſubnixæ: hinc fingere tota
Nil uſquam vita didiciſti, quod Tibi vero
Nil uſquam viſum eſt majus meliuſve. Poteſtas
In populos, Regeſque nihil mutavit in aureis
Moribus: exiguos homines affaris, ut ante,
Nec pateris triſtes a Te diſcedere. Namque eſt
Ante alias res una animo Tibi fixa, Supremum
Quod non Pontificem faciunt Diademata terna,
Nec ſtipatorum longiſſimus ordo, beata
Nec vita inter opes, aurata palatia, pronos
Vertice, quum tranſis, homines, genibuſque minores:
Sed pura in Superos pietas, conſtanſque carenſque
Labe animus, populum Patris complexus amore,
Et populus Patrem complexus amore viciſſim
Certatim qui clamet io! ſua gaudia teſtans
Sincero plauſu, quoties datur ora tueri
Pontificis, qui pene ſui rerumque ſuarum
Oblitus totas in publica commoda curas
Verſat, & exemplo durum ſuperare laborem
Uſque ſuo docet urbanis juveneſque ſeneſque
Rebus præfectos; Vir talis denique, quem non
A recto & vero fractus deterreat orbis.

Digitized by Google

SERMO SECUNDUS.

Sub perſona Fabii probi ſenis deplorat parentum oſcitantiam in educandis liberis, quorum licentiam arguit. Oſtendit quot ac quanta mala ex prava educatione proveniant.

ANTIQUÆ exemplum probitatis honorque ſenectæ,
Ille Tibi Fabius par, ANGELE [a], moribus aureis,
Doctrina longo ſed diſſitus intervallo,
Me convenit heri vultum dejectus honeſtum,
Imo & multa trahens ſuſpiria pectore ſedit,
Et mihi vix totam tremulo dedit ore ſalutem.
Pallidus hortor ego fari, quid triſte bidental [b]
Moverit. Ille animis paulatim & voce recepta:
Nunc, inquit, capitis nulla eſt reverentia cani,
Nullus honor Superûm pueris. Furit improba turba
Nunc quoque non procul hinc, & ſaxa ſudeſque præuſtas
Conjicit. In medios illapſus, ut huc veniebam,
Fruſtra objurgavi, fruſtra hunc illumque tenere
Sum niſus; nam de manibus mihi plura minantes
Evaſere: tuas veni vix ſalvus in ædes:
Denſa adeo lapidum grando eſt, & tempora circum
Sibilat aura. Senem multis conſolor, & imam
Derivo in plebem facinus, tutatus honeſtæ
Gentis progeniem. Sed negligit ille loquentem,

Lon-

a Michaël Angelus Jacomellus Summi Pontificis Cappellanus ſecretus Vir liberalibus quibuſque diſciplinis eruditione omni omnique humanitate Clariſs.

b Quid infauſti acciderit. Duarum bidentum ſacrificium fiebat pro expiandis locis fulmine tactis, & avertendo malo omine.

Longum imo orditur ſermonem, ac talia fatur.
  Quis vecors, quis mentis inops non ferveat ira
Tam juſta? Sobolem Lucina parentibus auget,
Et ſtudium ſobolis formandæ diminuunt, &
Ad Nomades ſenſim & fuſcos migravit ad Indos
Cura juventutis. Pauci ſumus & prope balbi,
Qui juvenum vitiis obſiſtere nitimur, & qui
Pullis hiſce togis & ſolo nomine patres
Stentorea veros agitamus voce parentes,
Ut vigilent: ſed deprenſi minus accola Nili
Surdeſcit. Quid id eſt? Torpebimus, atque ſedentes
In lapide obſtipi ut lapides ſpectabimus? Euge,
Majores ſumunt neglecta incendia vires:
Nemo ſuis non injiciat pro viribus undam.
  Natus ut in magnis nitidiſque Penatibus infans
Implorare ſuæ vagitibus atque querelis
Incipit auxilium matris, veluti reus auſus
Ingentis, patriis tectis expellitur exul,
Ut perturbator ſomni, mammæque tenellæ.
Cur igitur natura ipſam turgeſcere mammam
Juſſit lacte novo? num forte malagmatis [a] eſſet
Ut cibus, an pueri? Noſtræ ſua pignora matres
Ab ſe abigunt: pudor o! generiſque infamia noſtri!
Et vaccæ cornu vitulos armoque tuentur,
Audet ſiquis eos propius mulcere. Bubulci
Aut cerdonis ei nutrix datur uxor. Horati,
Clama, & matronis Venuſinam oſtende lucernam:
„ Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
„ Teſta diu [b]. Fratris ſaxo, quod forte tenebat,
Tempora colliſit, quum mœnia Romulus Urbi
Poneret. Anne ſapit feritas hæc ubera furvæ

 Sæva

a Medicamenti genus, quod matrum uberibus applicatum, lac ſenſim exugit & exſiccat.

b Lib. 1. epiſt. 2.

Sæva lupæ, quibus ille avido puer ore pependit? [a]
  Ergo haud naſcuntur mores, ſed lacte bibuntur
Cum tepido, veniſque fluunt, intrantque medullas,
Primo molle cibo quando coaleſcere corpus
Incipit. Ad Chionem redeamus, vel Telethuſam,
Quæ nato Curii nutrix, natove Metelli
Contigit. Eſt animus primum levis atque puſillus,
Et qui pro picto cum Baſſa litiget ovo
Acriter atque diu. Colus hinc & acus procul, una
Ars eſt nutricis fabella licenter amores
Inſinuans, aſtus, triſcuria, qualia vatum
Fex impura dedit pictis cantare flabellis,
Aut populo monſtrat media Bagoa platea.
  Dic modo, quos animos, quam mentem tam mala nutrix
Aſſaraci magni dabit, Enææque nepoti? [b]
Condimus in ſulcis ſterilis qui ſemen avenæ,
Et lolii, fruſtra ſegetem expectamus opimam &
Horrea Sardiniæ: ſterili veſcemur avena
Et lolio. Glandes antiquas non meret ætas
Noſtra; alios etenim mores ea pabula alebant.
  Sed puer ecce uda bimus, trimuſve culina,
Aut rure inter oves vaccaſque capraſque ſalaces
Nutritus vultu fuſco redit atque tumenti
Ventriculo, ſimilis proli, quam ruſtica mater
Ligna domum referens enixa ſub arbore fudit.
Agreſtem at ſubito mutabit in urbe colorem,
Exuet arva. Utinam coleret campoſque caſaſque
Ruſticus æternum, ne luxum diſceret urbis,
Neve domus pudibunda ſuæ. Vix reddere voces
Scit miſer, ore vomit jam ſeſquipedalia verba,

Quæ

a *Corpus infantis benigne ingenitis primordiis inchoatum inſitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpitur.* Phavor. apud Aul. Gel. l. 12. c. 1.

b *Scilicet expectas, ut nutrix tradat honeſtos,*
Atque alios mores, quam quos habet?
Juv. Sat. 5.

Quæ proferre pudet. Didicit tamen illa docente
Obſcœno famulo, cui collo ſarcina pendet
Sæpe, geniſque genas jungens atque oribus ora,
Criminis ante luem, crimen quam noverit eſſe,
Imbibit. Ipſo etiam didicit, quis crederet? ipſo
Patre, afflat crebris olidos quum vocibus hircos.
O pater! o tunica digniſſime ſerve moleſta! [a]
Parte domus alia cum matre puellula cantat,
Quas iterum mollis repetebat Apogonus [b] odas,
Quum plenis Bacchi reſonarent feſta theatris.
Spicula ſcit quot amor gerit, & quot vulnera fecit,
Quo calet igne Helene, quo Dido. Poſce quid alti
Lex Vaticani jubeat nos credere, quodve
Sit dubitare nefas ablutis Flumine ſacro:
Ungues rodit inops verbis, tam garrula primum,
Pallet, neſcit. Erant quum ignita forcipe crines
Vibrandi, ceruſſa genis pingenda, vel imæ
Plurimus & ſenſim ſuccreſcens ordine quino
Circulus aptandus pallæ, quo cedere lata
Nos jubet una via mulier, mala perdidit horas
Pontia ſæpe duas, & avitæ dogmata legis
Vel nunquam natam docuit, vel ſtans pede in uno
Dimidiis dixit duo vel tria verbula labris.
Scilicet hoc natam, quod neſciat ipſa, docebit.
Heu quos ad mores devenimus! Abdidit olim
Ut ſacrum Cereris ſua pignora ſedula mater,
Secum aſſervavit concluſa in pariete eodem,
Quanquam nullus adhuc digitis, & nullus ocellis
Sermo eſſet, ſpiſſas repetito corde tabellas
Nec dum ferret anus. Viguit ſanctiſſimus olim
Mos, ne proferret jam grandis virgo feneſtra

Ad

a Tunica moleſta ignis alimentis illita, ac mox ſuccenſa obvolutos nocentes amburebat. Juv. & Senec.

b Nomen græcum, cujus ſignificatio, ſine barba, vel imberbis.

Ad murmur quodcunque caput: ne ſciret in omnem
Filius ire viam, quanquam barbatus, & illi
Otia, amicorum longiſſima turba, popina,
Alea, erant teneri prope barbara nomina amores.
  At nunc liberior juvenis, quum Luna renidet,
Muſſat ad ædiculas & limina nigra, vel undam
Quantum hydrops, potat calidam, verſatque fritillum.
Auratis gaudet crepidis patulaque puella
Tibia in omne foro, feſto in quocunque videri;
Tuſſit ad hunc, illi ridet loquiturque videndo.
I modo, & ex animo pelle omnem ſuſpicionem.
Nulla hoc Penelope, nulla hoc Lucretia fecit.
  Non ſat erant igitur privata pericula? Perge,
Plurima ſæpe domo congeſta videbis in una.
Proſtant expoſiti venientibus ultro libelli
Et numeris & lege ſoluta poëmata verſus,
Atque pudicitiæ [a], quæ forte Propertius, & qui
Illi adjunguntur, magis erubuiſſe docerent.
Quis Veneris tabulas dicet, quis ſigna Priapi
Nudos & Satyros Nymphas & in amne natantes,
Sulphureas, pluſquam Phlegeton, revomente favillas?
  Hæc ſunt muta malæ inſtrumenta libidinis. Ore
Prædita vix numeres. Paraſitus, ſcurra, choraules,
Comœdus, cantor Proculejæ qualibet hora in
Ædes conveniunt, nec cuiquam janitor obſtat.
Occurrunt pueri, virguncula & ipſa ſalutem
Accipit & reddit; matrem dumque occupat ille,
Hoſpitibus nati colludunt. Gelliola aures
Tendit & os, auctas [b] nuper dum vellicat Ollus
Pſalterii chordas protenſis unguibus inſtar
Accipitris. Terram Coſpus majorque ſororum

Alatis

a Poëmata proſaica, Italice Romanzi, plerunque libidinum ac facinorum plena.

b Non pridem egregius fidicen antiquis pſalterii chordis novas addidit, quæ multo jucundiorem ſonum efficiunt.

Digitized by Google

Alatis pulſant pedibus ſimul: alea pernox
Luditur inde: pater nato, qui ludit & ipſe
Coram, Numinibus convicia torquet ab ore
Sacrilego. Medium quum nox pertranſiit axem,
Ad cœnam, ſibi qua linxiſſet Apicius unctos
Abſterſis patinis digitos, puerique virique
Fœminaque accumbunt mixti, dapibuſque meroque
Indulgent, donec vicina e turre Cucullus
Adventare diem Campano præmonet ære.
Et querimur priſci ſi non veſtigia recti
Ulla manent? noſtri ſi vincunt improbitate
Nequitiaque ſenes, pueri innuptæque puellæ?
Nos ipſi, quibus hæc tumidum faciunt, & acuta
Bile jecur mordent, nos ipſi mole trahentis
Exempli rueremus in omnia, niquis ab illo
Gurgite nos miſerans Deus eripuiſſet: & uda
Mollior argilla juvenum natura reſiſtet
Nunc oculis vitio, nunc auribus inſidianti
Viribus Herculeis? Limum ad præcordia Titan
Quemlibet efformanda paret, peccare timentem
Particulam inſinuet Jovis ipſius. Ire deorſum
Poſſe ignes credam, poſſe ire & flumina ſurſum:
At non exemplis coram tam turpibus ullum
Immunem vitiis fore credam, aut labe carentem.
O nati! o Divis jam turba inviſa parentum
Ob ſcelera & fraudes! O terque quaterque beati,
Si catulos, vel equos vobis natura dediſſet
Eſſe! Canem pectit, gremio fovet, amne lavat, ne
Blandiri quemcunque ſinit Cæſonia: nutrit
Ipſe ſuos Lepidus mannos, caudamque jubaſque
Criſpat, & arguto detergit pectine ſordes.
„ Vos viles pulli nati infelicibus ovis [a]

Vos

a Juven. Sat. 13.

Voſ ſoli manibus patriis cultuque caretis. [a]

At patres natorum hoſtes ſævæque novercæ,
Vos quanta mihi voce datum eſt, vos bile ſenectæ
Fatidica alloquor admoneoque. Mihi arrigite aures.
Illa dies veniet, qua philtro percita vappæ
Filia nubet, onuſta prius, veſtrique ſuique
Dedecus, atque aliquo diſcedet cum nebulone.
Pſallit enim, ſaltat, callet citharam, atque cicutam. [b]

Si tanto eſt animo, tanta ſi fronte puella,
Quid non audebit frater? Non diſsita lux eſt
Illa, nec ad Græcas me vate ferenda kalendas, [c]
Solvendo qua non æquus patrimonia vendet,
Inque diem veſtes a fœdo quæret Apella, [d]
Incolet & magnam nitida pro ſede popinam,
Commiſtus nautis calonibus & fugitivis;
Ille idem, qui nunc nil præter nomina magna
Ampullaſque ſonat, qui cenſum fundit equeſtrem
In veſtes, currus, epulas, famuloſque caneſque.
Deſino; namque meo jam terreor omine vates.

Ut Stygiæ Eumenides natorum admiſsa agitabunt
Confectos vitiis & longa ætate parentes,
Optanteſque mori. Tetricæ ſed ſtamina ducent
Ulteriora Deæ, quibus inter mortis amorem
Atque odium vitæ ſuſpenſi culmine àb alto
Procubuiſse domum videant & fata ſuorum
Communi culpa communi clade ruentum;
Ut tandem pectus transfixi vulnere acerbo
Nec ſurdum eſse Deum, nec Tireſiam [e] fateantur.

Hic

a *Majorem aſinorum & equorum, quam filiorum curam habemus*. S. Jo Chryſoſt hom. 60. in Matth.

b Sempronia didicerat *pſallere & ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt probæ*. Salluſt.

c Græci nullas kalendas habent.

d Judæo.

e Tireſias vates Thebanus fuit oculis captus. Ponitur pro cæco: ut Juv. Sat. 13.

Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Deorum.

Hic tandem ſenior finem dedit ore loquendi.
Quæ memini, retuli tibi, JACOMELLE, calenti
Igne pari ſtudioque, malos ut & ipſe parentes
Excutias, promens meliori tela pharetra.

SERMO TERTIUS.

Baſſum rigidum aliorum cenſorem reprehendit, & hortatur ut primum de ſe judicium inſtituat. Addit utilia monita.

BASSE, novi quid ab urbe? bonus ſi nuncius intras,
Sterno tibi limen myrto lauroque virenti.
Sin priſco de more venis queſturus, & affers
Mille mihi cauſas, quas non ego pondero, nec tu
Legitimus judex, hodie mihi gratus abibis.
Nam mihi ſunt, quanquam non magna negocia, & illud
Præcipuum, pugnis quod tundere pectora nolo,
Scindere nolo miſer veſtes. Sit fortis oportet,
Hæc qui non faciat te narratore. Libido
In vetitos egit thalamos hunc, impulit illum
Turpis avarities aconito efferre parentem,
Iſte fidem violavit, opes ſacri hoſpitis ille
Abſtulit; & reliquas dum fraudes atque pudenda
Facta hominum recitas, mihi perdita labitur hora,
Vulnus & infixum ſub corde diutius hæret,
Quum non poſſe mihi hanc detur fulcire ruinam,
Nec meus apta malo medicamina proferat hortus.
BASSE, peto hanc veniam: quoniam te ſæpe querentem
Perverſos hominum mores, altumque gementem

Digitized by Google

Audivi: ſtimulabat enim reverentia amorque
Me meus erga te; patienter ut ipſe viciſſim
Utiliora feras meditantem dicere, teque
Pauca monere, quibus ducas tranquillius ævum.

Humanum eſt peccare. Lues ab origine noſtri
Sanguinis hæc fluxit, pervaſit & ima nepotum
Viſcera, nequidquam & munitas oſſe medullas.
Ex hac quiſque penu vitiorum qualibet haurit
Multa die, præceps & pondere fertur avito. [a]
Totum percurras hominum genus: optimus ille eſt,
Quem pudet admiſſi [b], vel providus ante pudorem
Abſtinuit magnis. Immenſo ſi duo treſve
Excipis e numero, ſordebit cetera turba,
Nec tu immunis eris, ſi te bene concutis ipſum.

Verum, BASSE, hodie tibi dicit amiculus: æqui
Conſule. Nos vitiis ipſi, qui carpimus omnes,
Non ſumus expertes. Sæpe eſt, quem lege ſevera
Damnamus, nobis melior: namque hunc ſua ſaltem
Demiſſum facit improbitas; at noſtra ſuperbos
Nos facit, atque ſibi trux arrogat omnia virtus. [c]

Cur indignamur vitiis, odioque ſceleſtos
Inſequimur, niſi quod ſanctis parere recuſant
Legibus, & molles ſibi quidquid amica cupido
Suaſerit, indulgent large virtute relicta?

At lex prima jubet, quos ædes accipit una,
Quos urbs una ſuis concludit mœnibus, illos
Ut communis amor nodo devinciat arcto; [d]

Par-

a Chilo dicere conſueverat: *Cave a te ipſo. Omnes ſibi cavent ab aliis: at nemo magis eſt hoſtis homini, quam homo ſibi, dum libidinem, iram, ambitionem, aliaſque cupiditates adhibet in conſilium.* Laërt. l.1. c.4.

b *Quem pœnitet peccaſſe, pene eſt innocens.* Sen. in Agamem.

c *Meliora ſunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum ſuperbia.* Opt. Milevit. l.2. contra Donat.

d *Natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit.* Sen. ep.93.

Parcat ut hic vitiis illius, ut omnia de ſe
Quæ dici metuit, de quovis dicere ſervo
Abſtineat; demum ut ſtomacho moderetur acerbo,
Iram & contineat. Quæ ſi bona demſeris, ædes
Claude tuas, urbis portas claudamus, & antra
Tutius ingrediamur; erit nam nil ibi tantum
Quod formidemus [a]. Tetigi jam vulnus; amicam
Ne fuge, BASSE, manum. Morbo vexaris eodem
Quo illi ipſi, quibus indignaris. Quid ni ita? Nunquam
Mitis enim bilem cohibes. Hic paret amori,
Ille gulæ, pares ſtimulis tu triſtibus iræ.
Ergo es mancipium, ſola eſt diverſa tyrannis.
 Nemo ſapit tibi, nemo placet. Damnare triremi
Nunc Lepidum velles, nunc Paulam carcere nuper
Erecto ad Tiberim, triplici quo ſæva libido
Crate coercetur [b]. Statuis ſed tu tibi nullam
Pro ingenti hoc faſtu pœnam, ſævoque reorum
Contemtu [c]. Cedo, reus eſt & iniquus uterque,
Quem damnas; ſed tu non inſons, BASSE, nec æquus,
Qui ſine rubrica prætoris crimina plectis.
 Adde quod in multis ingentia tubera amicis
Fers me teſte, aliis verrucas objicis, ipſos
Vertis & in faciem nævos, & in ora Meduſæ.
Uſque adeo verum eſt, quod nos vitia ipſa aliorum
Delectant, aliorum virtutem odimus ipſam. [d]

 Heu!

a *Feræ potius, quam iracundo homini cohabitandum eſt: nam illa quum ſemel manſuefacta fuerit, ſuam ſervat legem: hunc autem quoties mitigaveris, rurſum efferatur*. S. Jo. Chryſoſt. hom. 29. ad pop.

b Carceris facies exhibet inſcriptionem hanc:

CLEMENTI . XII. PONT. MAX.
COERCENDÆ . MULIERUM . LICENTIÆ
ET . CRIMINIBUS . VINDICANDIS
ANNO . 1735.

c *Ut quiſque eſt vir optimus, ita difficillime eſſe alios improbos ſuſpicatur*. Cic. ad Q. Fratr.

d *At nos virtutes ipſas invertimus, atque*
Sincerum cupimus vas incruſtare. Probus quis
Nobiſcum vivit, multum eſt demiſſus homo: illi
Tardo cognomen pingui damus &c.
Hor. l. 1. Sat. 3.

Heu! qui caſtigatque auditque dolos ab amore
Liber & invidia, non hac te lance nec hoc te
Pondere diſcutiet. Facies hunc nulla movebit,
Nullum thus miſtum nigra pice. BASSE, ſed ad nos
Jam redeamus. Ineſt nobis genitricis ab alvo
Ambitio quædam, qua poſſumus omnia ſoli,
Soli recte agimus [a], ſapimus, ſolique caremus
Omni labe. Fit hinc ut quod non ſuaſimus ipſi,
Longe quidquid id eſt, a libra atque ungue recedat,
Quod non conſulimus, recto aut ſermone docemus,
Id commune bonum labefactet, moribus obſit.

Sunt, qui forte putent ex noſtris hiſce querelis
Æqui nos pretio tangi, & virtutis amore: [b]
At ſunt nare alii ſicca magis atque ſagaci,
Qui nos perpetua ſub veſte latente lucerna
Veſtigare putant aliquod jus imperiumque
In populum. Mihi dic, hos fallit opinio, an illos?
BASSE, laboramus, quum verum ſe objicit ultro.

Ergo qui tumidi ſumus ambitione, ſuperbi,
Iracundi, acres, capitoſi, quidquid & iſtis
Cognatum eſt vitiis, totas efflabimus iras
In miſeros, multa qui nos virtute probiſque
Moribus interdum ſuperant? damnabimus omnes,
Omnes perdemus nobis impunibus hiſque,
Quos, quod adulantur, præſtantve quid utile, amamus?
O probrum! o duras ſuper omnia marmora frontes!

Æquam nulla tulit lex pœnam talibus auſis.
Credidit ingenuo quod forte pudore luemus,
Occultoque animum quatiemus verbere tantæ
Fraudis participem. Sed me indignatio agebat

Im-

a *Homine imperito nunquam quidquam injuſtius,*
Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat. Ter. in Adelph.

b *Non ex ſingulis vocibus philoſophi ſpectandi ſunt, ſed ex perpetuitate atque conſtantia; reſque ſpectari oportet, non verba.* Cic. 5. Tuſc.

Improviſa animo. Muſæ, clementius œſtrum
Inſpirate mihi. Fama eſt animalia quondam
Conveniſſe ſimul, quo ſe quodcunque tueri
Contra vim poſſet ſociorum, & ferre querelas
De furtoque doloque malo. Sedet ore ſevero
Arrectiſque jubis leo judex; undique circum
Stat turba, e ſilvis pars plurima, plurima ab agris.
Ut tandem facta eſt dicendi cuique poteſtas,
Hirtum & parvum animal, cui nomen ericius, ante
Surgit equumque bovemque: tumet, ſpuit, excreat ora
Componens ad verba. Canem, qui proximus illi
Sederat, accuſat primum male mobilis iræ;
Deinde lupum famis omnivoræ, leporemque timoris
Imprudentis, ovem ſtolidam, vulpemque doloſam,
Socordemque aſinum. Demum mala beſtia nulli
Parcit: quin lacrimans ſubdit ſibi quodque malignum
Parte nocere aliqua, vel quum ab ſede aggrediuntur
Pellere, vel multo quum parta labore rapaci
Dente petunt. Referens hæc tota exæſtuat ira.
Dudum at diviſus brutorum hinc, inde ferarum
Grex frendebat. Equus nutu veniaque leonis
Occipit, & multis ex ordine multa refellit.
Addit plura ſenex rauco pulmone jugo bos
Tritus & aſſiduo. Sed nullum vulpe reſolvit
Clarius ambiguam litem. Conſederat imo
Illa tribunali, ſeſe & ſurdeſcere fingens,
Accedat propius, quæſo inquit, ericius; aures
Nam ſtupuere mihi, voxque eſt exilior illi.
Imperat hunc ſubito judex procedere. At ecce
Judicis ante oculos dum repit, ſauciat omnes.
Jamque propinquârat demiſſa & fronte leonem
Pronus adorabat, quum figens oſcula fixit
Spicula multa. Pedem retrahit leo fervidus ira,
Hocque eſt, hoc, inquit, monſtrum, quod bruta, ferasque

Au-

Audet me coram accuſare? Apagete puſillum
Hinc animal, ſed grande malum, detrudite ſubtus
Terram: ne poſthac conturbet qualiacunque
Utlibet in noſtro fiunt commercia regno.
Dixit, & extemplo fuit in ſcrobem ericius altam
Truſus, ubi latitat, potis eſt nec lædere quemquam,
Seque ferunt, vel ab hoſte cavent animalia noto.
Fabula, BASSE, feret tibi commoda plura, piloſos
Qui carpis multa veſtitus cuſpide. Primum
Stultum eſt, contra omnes privatum nitier, alba
Ex nigris facere & moderari cuncta volentem.
Hoc nulli ſceptro licuit, nec faſcibus ullis;
Multaque prætereunt laquei, rigidæque ſecures.
Mendis quid ſi idem multis ſcatet, audet & ollam
Appellare nigram, & ridere nigerrimus ipſe?
Deinde malos homines juvat inter vivere, ſicut
Inter deformes. Nam ſueſcimus ora videre,
Qualia, Dj Superi! ſima, atra, pudenda, quibus non
Æthiopes poſſint, non invidiſſe Lapones.
Sed præſtat media Sapientem excedere turba,
Inque ſalubri ægram mentem curare receſſu,
Et quas in nobis faſtidit, tollere rugas.
Denique, BASSE, nefas ſi nullum admiſimus, auſi
Nec ſumus, expurgent quæ Centum-crimina-Cellæ, [a]
Debemus Superis grates. Hi ſæpe ſuperbis
Hanc ſtatuunt pœnam, patrent ut turpia nocte,
Poſtera lux retegat. Qui lapſum errore, lutove
Præ fragili ridet facile, cras fiet adulter,
Tota & cantabit cum compare rumor in urbe.
Poſtremum monitum memor eſto ante omnia mente
Condere. Nos inter tenues, queis publica non ſunt
Munera, cenſor erit vitiorum æquiſſimus ille,
Qui tacet, & ſola morum probitate perorat.

SER-

[a] Centum-cellis triremibus aut ergaſtulo criminum pœnas luunt flagitioſi.

Digitized by Google

SERMO QUARTUS.

CLEMENTIS XII. vitam imitandam proponit Nobilibus Adoleſcentibus in Eccleſiaſticis Dignitatibus initiandis.

TE Cuſtos hominum, CLEMENS, Te Maxime Regum,
Parque Diis Superis, humili celebrare camœna,
Et novus audebo Vates? At Jupiter ipſe
Non ſemper tauros aurata fronte venire
Ad ſua ſacra videt. Proceres mactent hecatonben: [a]
Far dabit & fruges modici poſſeſſor agelli,
Nec tamen ille minus veniet Djs carus ad aram,
Quam Proceres, ſi pura feret munuſcula dextra.
Hoc ego deductum meditatus arundine carmen
Offero, Magne Pater. Forſan Te digna loquentur
Arcades imbuti toto præcordia Phœbo:
Sed non me ſtudio, laudum nec amore tuarum
Vincent, hoc cæli teſtor ſpirabile lumen.
Ergo mihi, CLEMENS, adſis Deus alter, & audi
Vera quidem de Te vatis licet ore loquentem.
Quum Titan hominem fragili componere limo
Conſtituit, naturam inter brutumque Deumque
Mente agitans mediam, Divinæ particula auræ,
Æthere vel rutilo, certe eſt cæleſtis origo
Illi, animum finxit puris virtutibus aptum,
Deque Diis multum referentem. Tum grave cœpit
Corpus humo madida, conjunxit & undique partes
Diſ-

a Sacrificii genus, in quo centenæ unius generis victimæ, v. g. centum boves mactabantur: ut Juven. Sat. 12. *Exiſtunt, qui promittant hecatomben.*

Diſſectas variis animalibus, unde cupido,
Unde timor, noſtrorum ingens & turba malorum
Profluxit. Tamen ille luto meliore creavit
Quoſdam, nec tantum terreſtre irrepere pondus
Mollia conceſſit ſub pectora, poſſet ut illam
Divinæ lucem mentis vel corpore tardo,
Vel vitii illecebris tetra & caliginæ culpæ
Obruere. Heroas ſemper comitatur amicum
Tutaturque aliquod Numen vel ab ubere matrum.
Ergo CORSINUM antiquo quum ſanguine cœpit
Formare Heroem, Deus adfuit ille Virorum
Nobilium Deus: hunc gens priſca vocavit Honorem.
Adſuit incorruptus Honor. Si patria nomen
Illuſtrat, naſci Regalem vidit ad Arnum,
Quo qui fonte bibunt ad honeſtas promtius artes
Ingeniumque ferunt, veræque cupidine laudis
Et maria & terras & ſidera gentis Etruſcæ
Fama impleverunt. Sed te pulcherrima rerum,
Te Regum & Divûm magnam, Florentia, matrem
Non opis eſt celebrare meæ, quam fertilis Arni
Ad ripas dicunt centum, & modulantur olores.
Pergite, Pierides. Si mores donat avorum
Sanguis, Honor gentis maternæ hinc, inde paternæ
CORSINO priſcumque genus [a] nomenque ſuperbum
Præſtitit & miſtum Superis. Date lilia plenis,
Romulidæ, manibus, date plenam thuris acerram.
ANDREAS magno ſupera de ſede Nepoti
Magnus avus plaudit, divini habiturus Honoris
Illum participem, quum integrum expleverit ævum.
Huc ades, o primo lætiſſima flore Juventa;
Jam Puer ingenuus tibi creſcit, & atria luſtrat
Ornata Heroum ſignis & imagine multa

Vir-

a Vid. inter alios Genealogr. Gambur. in Nob. Fam. vol.3. p.143.

Virtutis patriæ. Stupet intentuſque videndo
Nunc hujus nomen, nunc poſtulat illius arma.
  Tum pater oſtendit clypeos haſtaſque ſagittaſque
Et veterum monumenta ducum, qui vulnera paſſi,
Dum patriam ſervant, inimica vel oppida cingunt.
Victores oſtendit avos, fuſa agmina narrat
Attonito ſimili, Martiſque accendit amorem,
Et tenero jam laus in pectore bellica fervet.
  At fulvum infantem retrahens ſubturbida mater,
Ne mea vita, inquit, ne lux mea, amaveris iſtos
Tam ſævos vultus indutaque pectora ferro.
Hos potius. Placidas frontes atque ora verenda
Pontificum monſtrat, quorum pars ſplenduit oſtro,
Splendet & evectus ſuper æthera plurimus ordo.
  Matris Honor votis reſpondet; & ægide & haſta
Depoſita, qualiſque ſolet ſe ferre videndam
Cœtibus Arcadiæ vultuque animoque ſerenam,
Pallada ſe talem CORSINO offerre boniſque
Artibus informare jubet. Non fluminis alveum
Pervolat ulla ratis, quum prono labitur amne,
Vix remo tangente ſolum, vix carbaſa vento,
Ut facili ingenio ſtudii genus omne peregit
Aſſiduus Juvenis vincto pede, ſive ſoluto
Dicere, vel dubias rerum perquirere cauſas,
Vel ſacra jura libet, non ulli laude ſecundus.
  At qualem variis junxit vitæ integer uſque
Virtutem ſtudiis! quos mores quamque pudicos!
Sic opifex ebore in lævi nitidoque ſmaragdos,
Aut rutilo includit gemmas Garamantides auro.
  O juvenes, juvenes! quorum labor unus, & una eſt
Cura comæ ferro criſpandæ, vultus amici
Cenſura ſpeculi pingendus, odore Sabæo
Ungendum caput, & perdendi temporis index
Lata monſtrandus vitta flavâque rubraque;

O Cla-

Clavicula feriente oculos duplicique ſigillo:
Me numerare pudet ludos, convivia, amores,
Et quibus in vitiis robur conſumitis ævi.
Ite gynecæis aptiſſima turba, nec ullam
Paſcite ſpem populi poſt tot commiſſa regendi.
Res alios homines hæc poſcit & arte ſubactum
Longa animum & plenum generoſo pectus honeſto. a
Vos molles animæ.. Sed quo me Phœbus agebat?
  Parce decus magnæ, CORSINE, & gloria Romæ,
Parce; tuis me tam contraria moribus ætas
Obliquum abſtulerat: virtus tua ſideris inſtar
Errantem revocat. Vix Te deduxit in Urbem
Ille tuo lateri cuſtos affixus in omne
Tempus Honor, roſei divina modeſtia vultus,
Candor & integritas animi, fidumque colendæ
Pectus amicitiæ Tibi conciliavit amorem
Romulidum. Quæ turba tuas non fluxit in ædes
Nocte dieque? tuæ quem non cultiſſima linguæ
Gratia devinxit? Venit, qui roſtra diſerto
Perſonat ore, lyra qui carmina fundit eburna,
Venit Eques nitidus, Patres venere togati.
Quiſque tua melior, vel doctior æde receſſit,
Nemo nimis facilem te queſtus, nemo ſeverum.
  Sic ubi vere novo genialis floruit hortus,
Undique cogit apes odor æthere fuſus aperto.
Illæ nectareos flores & olentia nactæ
Paſcua perque roſas funduntur perque liguſtra:
Quum tandem ceraque graves & melle volatu
Se denſo attollunt, & grato murmure parvos
Ad fœtus referunt & odoras munera cellas.
  Quid moror? Heroem dum clara celebrat in Urbe
Fama,

a *Qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris & cupiditatum lenociis dederunt, miſſos faciant honores, nec attingant Remp.; patiantur viros fortes labore ſuo perfrui*. Cic. pro Seſt.

Fama ; trahitque homines, adſunt quoque Numina. Leges
Et res humanas Themis offert, Sacra Deoſque
Relligio inſigni pietate & fortibus auſis
Commendatque Viro, crineſque bivertice mitra
Ornat, & Aſſirio fulgere nitentius oſtro
Imperat. Invicto quid dignum Interprete legum
Dicere, quid tanto Sacrorum Præſide, Muſæ
Poſſumus, Heſpiades Muſæ ? Nil ſanctius ore,
Quum pia vota facit, nil dextra largius, aris
Cum dona imponit, templiſque inſtaurat honores.
At nos inceſſumque gravem vultumque decorum,
Nos pictas veſtes Phrygiam miramur & artem,
Vos ſoli latebras animi, vos corda videtis
Interiora, Dii. Quanta eſt in pectore virtus,
Quantus amor! Divos movet hæc pietaſque fideſque,
Non mitra, non vittæ, non pingui de grege tauri.
At Sacris functus ſanctarum oracula legum
Dicturus procedit. Io, properemus egentes,
Turba ſoluta metu. Lictore ſeverior omni
Noſtra hoc paupertas non nos ab limine pellet.
Nomine nam ſolo differt a divite pauper
Judice CORSINO. Nil fœda pecunia lites,
Nil metus, aut odium, nil gratia promovet, una
Certa patrocinii cauſa eſt, quæ nititur æquo.
Diſcite juſtitiam, quibus eſt agitare poteſtas
Faſque nefaſque [a]. Tegunt ingentia crimina ſæpe
Nobilitas & opes: reus eſt, cui deficit aurum.
Heu pudor! heu diro vadimonia prodita lucro!
Talia CORSINI non vidit monſtra tribunal;
Judice, cui ſemper Themis adfuit altior ipſo.
O dignam imperio virtutem! o nata coronæ
Tempora! Jam dudum mens dextera rebus agendis,

 Pro-

a *Cum Judici dicenda ſententia eſt, meminerit ſe Deum habere teſtem, id eſt, mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius.* 3. Offic.

Propoſitique tenax & vultu ſemper eodem
Fortunam excipiens variam, jam Palladis artes
Et res ambiguæ Latiique negocia regni
Hunc expoſcebant Regem. Communia cives
Detulerant poſitæque procul ſuffragia gentes,
Ante ſacer ferret quam vota fidemque Senatus.
Jam Princeps, jam dictus erat patriæ Pater ante,
Quam fieret. Noſtris extremo hoc tempore Divi
Præſidium rebus noſtræ columenque ſaluti
Tutelamque animæ ſervarunt. Ipſe Tiaram
Innumeris metitus Honor virtutibus annos,
Impoſuit capiti, & terra, inquit, & alma ſeneſcat
Sub Duce Roma ſuo, ſimul aurea ſecula ducat.
Semper ego ſiſtam veræ in veſtigia laudis,
Sufficiamque pares animos nomenque decuſque.
Dixit, & ingenti plauſu nova gaudia cives
Teſtantur, cælum læto clamore reſultat.

Tum CLEMENS hominum curam ſubit imperiumque
Non alio vultu, quam quo grave pondus Olympi
Cepit Atlas humeris, latera ardua nixus, & artes
Et prius experiens iterumque iterumque valerent
Quid vires. Subiit tandem, fortiſque ferendo
Fit magis, & facili jam ſidera vertice fulcit.

Salve, Magne Pater, quo ſoſpite Vaticanum
Soſpes erit, ſeptemque dabit longa otia colles
Ducere, & antiquæ monimenta reſurgere Romæ,
Atque per Œnotriæ reduces dominarier urbes
Juſtitiam doctaſque artes vitæque beatæ
Commoda. Salve iterum, mundi decus, inclyta Divûm
Progenies: Phryxi Tibi vellere ſtamina Parcæ
Dum nebunt, radioſque ſuos intexet Apollo;
CLEMENTEM atque iterum CLEMENTEM publica vota,
Et communis amor CLEMENTEM ad ſidera tollent,
Sidera cognatum reſonabunt aurea Nomen.

SER-

SERMO QUINTUS.

Friderico Electorali Principi Saxoniæ in Academia Arcadum variis floribus & frondibus coronato deſert animorum imperium. Docet de inſtituto & de rebus Arcadiæ, cujus laudes cum ejuſdem Principis laudibus proſequitur.

MULTIPLICI nitidos quoniam, FRIDERICE, capillos
Noſtri ornaverunt Tibi flore & fronde Poëtæ;
Non etenim poſſunt alias dare rura coronas:
O Flos Saxonici puriſſime, Sanguinis atque
Auſtriaci, cape ſceptra novi florentia Regni,
Non quæ Saxoniæ Gens inclyta geſſit ab annis
Innumerabilibus, non quæ geſſere vetuſti
Induperatores de Gente tua [a], generoſæ
Nec quæ geſſit Avus Scythiæ, nec quæ gerit & nunc,
Et longæva ætate geret Pater optimus; at quæ
Plauſibus & lætis hodie Tibi vocibus omnes
Arcades uno ore, uno animo, uno corde tulerunt.
Ecquid enim, quid non, FRIDERICE AUGUSTE, mereris?
Ingredere [b], o felix, nec noſtra mapalia temne,
Noſtri Rex animi, noſtrorum Rex & amorum
Ingredere. At pendes, & circum lumina volvis,
Quod fortaſſe Tui dignum nihil undique cernis.

Per-

a Henricus I. Otho Magnus, Otho II. Otho III. & Lotharius II. Vid. *Virdichil.* in Chron. Sax. Sigeber. Friſing. & alios Script. Vit. Imp.

b Adiverat Academiam Latinam haberi ſolitam in Ædibus Cuſtodis Gen. Arcadiæ, ubi maximo plauſu frequentiſſimi Cœtus exceptus & omni carminum genere celebratus inter Arcades minime dubia cum voluptate acclamatus eſt, ac dictus Luſatius Argireus.

Perge tamen, Juvenum pulcherrime, vilia quamvis
Exteriora Tibi Arcadiæ videantur, & agros
Deſpicis & pecudes & aratra: introſpice noſtros
Eja animos, ubi facta Tibi regnare poteſtas.
Nos intra meliora latent. Concordia noſtræ eſt
Gentis Stemma [a]. Probos ea primum junxit in unum
Paſtores, ſumus unde ſati, facileſque parentum
Servamus mores [b]. Sincero pectore quiſque
Quemque colit; nemo rebus macreſcit opimis
Alterius, nemo ferus ambitione vel ira
Turbat amicitiam: rixas & jurgia vultu
Phylacidas placido arceret, nec eo duce quiſquam
Devius erraret [c]. Nos continet unus honeſti
Limes, & una ſimul ducit nos ſemita juſti.
Jamne tui, o Princeps fortunatiſſime, Regni
Incipis agnoviſſe bonum pretioſius auro,
Clarius argento, gemmis præſtantius ipſis?
Incipit en oculis nobis connivet amicis, [d]
Noſque ſua egregius virtute & moribus aureis
Metitur. Grandes animæ ſic non bona cœcæ
Expendiſſe ſolent fortunæ, non quid in arca
Claudat is, ille quibus diſtendat jugera metis:
Sed quam quiſque tenax ſit recti cultor & æqui.
Ergo Tibi, Princeps animo æque candide & ore,
Noſtra hæc ſimplicitas ævoque ſimillima priſco
Vita placet, placet atque ideo nobis magis ipſis,
Hanc

a *Fiſtula diſparibus ſeptem compacta cicutis*. Virg. Ecl.2.

b Arcades non nomen ſolum paſtorum, ſed & ingenuos mores & paſtoralem ſimplicitatem ſuis in conſeſſibus præſeferunt. Academiam hanc XIV. Illuſtres Viri ſub finem ſuperioris ſeculi maximo literarum ac bonarum artium emolumento inſtituerunt, & colonias per multas Europæ urbes propagarunt. De ea vid. inter alios egregium Lib. Carminũ Mich. Joſephi Morei Viri de literis Academiiſq; noſtris optime meriti.

c Inter præcipuas leges Arcadiæ una eſt, quæ eos, qui turbas excitant, de gradu Academiaque movet.

d *Illud honeſtum, quod in aliis cernimus, nos movet, atque illos, in quibus ineſſe videtur, amicos facit*. 1. Offic.

Hanc quod amas. Sed perge, & adhuc meliora videbis.
  Interea virtutis iter percurrito apertum,
Et magnos imitatus Avos gere digna ſuperbo
Nomine Saxonidum. Populos in pace tueri
Sueſce, hosteſque procul retinere a finibus: olim
Quum Victor venies ſpoliis Orientis onuſtus,
Et per Te regio Septen-ſubjecta-Trioni
Jus Vaticani una Relligione Fideque
Nobiſcum intemerata colet, Sanctumque Parentem
Utraque communi gens una vocabimus ore:
Ingenti Te laude ferent ſuper Arcades aſtra,
Majoreſque dabunt animos, aliaſque coronas
Æterna innectent Tibi circum tempora lauro.
  O ſi illos nebunt mihi Parcæ ſtamina in annos,
Quot rebus monumenta tuis erecta videbo!
Quot mihi feſtivis reſonabunt plauſibus imæ
Valles Arcadiæ, quot dignis verſibus alti
Colles, quamque pater ſublimi voce Lyceus!
  Tunc vel in extrema robur juvenile ſenecta
Induam, & ante tuos, Victor generoſe, jugales
Unda actus populi turbaque elatus ovanti
Ibo manu plaudens, dicamque io io venit ecce
Mavortis FRIDERICUS honor terrorque tyranni
Odryſii, Axiacæ reſtauratorque ſalutis.
Tum læti repetent io io juveneſque seneſque,
Reſpondebit io cunctis e vallibus echo.
Nam mos Arcadiæ eſt Heroum dicere geſta,
Et magna ſtimulos currentibus addere laude.
O FRIDERICE, capit jam Te, reor, iſta voluptas,
Exultaſque animo totus mihi, jamque triumphas.
  Si Tibi non ſatis eſt Muſarum plauſus [a], habemus
For-

[a] Habita eſt Academia hæc in Capitolio, ubi de more Nob. Artium Sculpturæ Architecturæ & Picturæ ſpecimina coram S. R. E. Cardinalibus ac Sereniſs. Principe exhibita ſunt, ac præmiis pro cujuſque merito donati Auctores.

Forte aliquid majus: namque Arcades omnia nôrunt.
Quandoquidem ſtatua non eſt Te dignior alter,
Hic Bronte & Sterope melior Te fundet in ære
Urgentem ſpumantis equi calcaribus armos;
Ille Tibi ſtatuam niveo de marmore ponet [a]
Inter & Henricos & Magnos inter Othones,
Atque alia Auguſtis clariſſima Nomina Faſtis,
Quorum in Te virtus puro cum ſanguine fluxit.
Artis Apellææ ſi Te magis occupat ardor;
Centum hic Parrhaſii centum Te Zeuxides [b] amplis
Certatim in tabulis pingent, Juvenemque decorum
Plenum efformabunt & majeſtate & amore,
Qualem Narciſſum, qualem ſpectamus Adonin.
Namque pudicitia quem longe vincis, Adoni
Non cedis forma: Narciſſum fulgidus æquas,
Conſiiio vincis. Vis aurea ponere tecta
Regaleſque domos regalibus addere & aulam
Uxori fabricare novam natiſque futuris?
Non hic Artifices deſunt; nam mille Vetruvj [c]
Inter nos priſcæ renovant miracula Romæ.
At ſapis, & non hæc tua ſunt ardentia vota.
Namque ædes, tabulas, atque ærea ſigna vetuſtas
Invida dente petet, turpi & confundet acervo
Omnia. Sola hominem Virtus, FRIDERICE, beatum,
Sola immortalem facit. Hanc animoſus in unam
Nitere [d], & æterno tua laus æquabitur ævo.

SER-

a Multi ſunt Arcades egregii Sculptores, ut Equ. Camettus, Ruſconius, Ameranius, Othonius, Monaldus, Mainus &c.

b Græcis ipſis non invident Pictores noſtri Eques Conca, Trevilanus, Equites Voghius & Ghezzius, Nellius, Mancinus, Ricciolinus, Muradorius &c.

c Sunt & antiquis Architectis non impares March. Theodulus, Nic. Salvius, Equites Valerius & Deriſetus Lugdunen. Fontana, Michettus, Cirollius &c.

d *Omnes bene vivendi rationes in virtute ſunt collocandæ, propterea quod ſola virtus in ſua poteſtate eſt. Omnia præter eam, ſubjecta ſunt fortunæ dominationi*. 4. ad Heren.

SERMO SEXTUS.

Conſolatur Com. Petrum Marazzanum in obitu Cl. Viri Com. Philippi Antonelli ejus leviri. Commendat utriuſque virtutem. Deſcribit beatitudinem, qua Philippum cum præmortua uxore ſua potiri auguratur. Laudat ſuperſtites ex Familia.

O PETRE nos miſeros! Vis ergo reſiſtere nulla,
Nulla poteſt virtus Libitinæ? Noſtraque vota
Noſtras & lacrimas contemnit. Te quoque quamvis
Sanguine prognatum claro, functumque ſuperbis
Muneribus, notum pietate & fortibus auſis,
Et lugenda aliis multum & lugenda propinquis
Te quoque fata manent, PETRE Optime; nam tuus ille,
Præſtans illuſtri genere & virtute PHILIPPUS
Vivere Neſtoreos annos digniſſimus unus,
Proh dolor! occubuit. Frons illa ſerenior olim,
Illi acres oculi vultuſque decore virili
Plenior heu! nigra tegitur caligine, morſque
Robuſtos agileſque olim depaſcitur artus
Non ſecus, ac medio quum forte in tramite feſſum
Nacta viatorem fera dejicit, & ſuper hærens
Membra vorat circum, ſimul & rimatur aduncis
Unguibus, atque avido diſcerpit viſcera roſtro.
Dementes heu! PETRE, ſumus, qui fidimus iſtis
Viribus, & ſpeciem formæ ſectamur inanem. [a]
Momento perit illa, velut roſa flantibus auſtris

P In-

[a] *Nihil meū eſt, aut cujuſquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti poteſt.* Parad. 4.

Digitized by Google

Invectoque ſuper pallentia ſole liguſtra.[a]
Si Te, quum veſtris tulit in regionibus arma,
Imperioque animoque potens & flore juventæ
Vinxit amicitia, digno quod gratior ore
Ibat, eratque decus Martis comitumque ſuorum,
Et longa nitidi crines cervice fluebant;
Horum quid ſupereſt hoc tempore, PETRE? vel horum
Siquid adhuc ſupereſt, antiquum inſpirat amorem,
Aut individuæ renovat tibi gaudia vitæ
Priſtina? Pro verbis imo ſuſpiria corde
Ducis, & in fletus ſolvis pia lumina. Cernis
Namque animo, quo ſæva loco detruſit amicum
Parca tuum, furto quam ditia ſuſtulit uno
Munera naturæ, quam longe corpore ab uno
Corpus abeſſe aliud cogit, gratoque carere
Alloquio jubet æternum. Sed parce loquuto
Talia. Non animos tam mollia vincula veſtros
Junxerunt: nec enim rebus venerabile fluxis
Gaudet amicitiæ nomen: jus faſque piumque
Illa colit, ſolo & nitendum credit honeſto.
Talis amor juvenile licet conjunxit utrumque
Pectus, idem ſtudium virtutis, laudis iidem
Moverunt ſtimuli [b]. Semper dum fata ſinebant,
Velle & nolle ambobus idem fuit; hocque ſolutum
Parte aliqua fœdus ne forte dehiſceret, arcto
Sanguinis aſſertum eſt vinclo. Nam candida Virgo,
Virgo ſoror germana oculis tibi carior ipſis

Di-

---

a *Anceps forma bonum mortalibus*
Exigui donum breve temporis
Ut velox celeri pede laberis!
Non ſic prata novo vere decentia
Æſtatis calidæ diſpolias vapor,
Sævit ſolſtitio cum medius dies,
Et noctē brevibus præcipitat rotis;
Langueſcunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ;
Ut fulgor, teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formoſum ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax. Sen. in Hippolyt.

b *Nihil eſt, quod tam attrahat, & alliciat amicitiam, quam ſimilitudo, qua fit, ut bonos boni diligant, aſciſcantque ſibi quaſi propinquitate conjunctos atque natura.* Cic. in Lael.

Divitibus quæſita diu, multiſque petita
Patriciis uni conceſſit nupta PHILIPPO,
Quem non illa minus, non plus quam frater amabat.
  Læta virum conjux Superorum in ſede reviſit
Nuper. Nam membris exuta volaverat ante
Arces ad ſuperas, noſtro quas eminus orbe
Denſa licet caligo premat, totumque profundum
Nos interjectum late diſterminet; illos,
Illos, PETRE, tamen video, quos non metus angit
Interitus, non membra gravant, nec acumina mentis
Obtundunt hebetes ſenſus, non denſa malorum
Agmina noſtrorum perturbant amplius. O par
Illud ubi eſt? lætis quam cœtibus intermixtum!
  Par illud meritis, illud virtutibus æquum
Semper habet ſine fine quies, ſine ſine voluptas.
Nulla intemperies vexat, nox nulla, nec umbra
Quos ſpatiantur agros, veſtit ſed flore perenni
Ver placidum: nullæ capiuntur in aure querelæ,
Sed reſonat purum melos & Rectoris Olympi
Laus immortalis, repetunt quam vocibus ambo
Dictam aliis, aliis repetendam rurſus & ambo
Occinuiſſe altum gaudent, qua cuncta reſultant
Atria, feſtivo & ſocii clamore ſequuntur.
  Par iterum, PETRE, illud ubi eſt? Mihi præripit uber
Copia rerum oculos, neque celſum Muſa volatum
Jam feſſa aſſequitur. Merguntur in amne, profundo
Amne voluptatis; rapit unda, & volvit in illum,
Omnia qui cernit, qui continet omnia ſolus,
Omnis quique boni, quique eſt virtutis origo.
Ut pluviis quum forte tumet nivibuſque ſolutis
Abreptas fluvius ſinuoſo in vortice cymbas
Ducit agens circum, mediumque volutat in æquor.
  Ergo, PETRE, tui felici ſorte PHILIPPI
Gaude; nec funus lacrimis, aut queſtibus urge

Perpetuis, ne forte aliqua videaris amici
Invidiſſe bonis ingentibus. Ille ſuorum
Luctu dignus obit, qui nulla laude, nec ullis
In patriam meritis vixit, quemque obruit idem,
Qui corpus tumulus [a]. Noſter non totus obivit,
Imo ſui multa eſt nos inter parte ſuperſtes.

Vivit adhuc ſincera fides, mens conſcia recti
Vivit adhuc, duris multa & patientia rebus,
Vivit conſiliis patriæ decor additus, inque
Magna ſuos pietas & munificentia cives.
Clara animi vivunt monimenta, domeſticus ille
Et nitor eloquii vis & facunda Minervæ
Etruſcos vel inire modos, vel inire latinos
Apta, vel ambiguas rerum diſquirere cauſas.

Rapti quin etiam ſupereſt genitoris imago
Sanguine digna ſuo proles [b], & idonea ſanctis
Moribus antiquæ Gentis. Non cura paterna
His deerit. Supereſt nam Frater [c] cetera Fratri
Par, ætate minor, quo non mihi carior alter,
Non alter claris ſapientior artibus, ore
Græco ſive libet percurrere, ſive Latino.
Illum Purpureis Patribus facit atque Supremo
Pontifici carum doctrinæ rara ſupellex,
Et conſtans probitas & vera medeſtia dotum
Et decus & pretium tantarum. Laudibus iſtis
Roma novas addet, jamque addidit. Ille PHILIPPI
Inque locum munuſque boni ſuccedat amici:
Nam tibi eo melior poſt Fratris funera nemo eſt.

SER-

a *Mors terribilis eſt iis, quorum cum vita omnia extinguuntur, non quorum laus emori non poteſt*. Cic. in Parad.

b Quatuor Liberi optima educatione futuri non Patri Patruoque diſſimiles.

c Nicolaus egregius Præſul Canonicus Baſilicæ Lateranen. multis Pontificiæ Curiæ Muneribus ornatus.

SERMO SEPTIMUS.

Narrat morbum lethalem, ex quo convaluit opera & arte Viri præſtantiſſimi Jacobi Toyon Pictavienſis, Chirurgi ac Medici Ducis Sancti Aniani Paris Franciæ & Legati Regis Chriſtianiſſimi apud Sanctam Sedem.

EVASI tandem lectum, morbumque malignum,
Quo me inviſiſti abſumtum prope, quoque repréſti
Vix, o amice MARI [a], lacrimas. Cruciabar acutas
Hoc inter febres, moriens quod linquere Te ipſum
Deberem, mihi quem multum Pater optimus olim,
Quem probitate & murice clarus Avunculus [b], & quem
Plus commendârat frons pura parentibus ipſis.
Illi animo caſti mores prudenſque ſubibat
Simplicitas, amor ille bonas incenſus in artes,
Illa tenax rerum mens, illa ſubibat honeſtas
Vultus atque animi, cui nemo negaret amorem.
Te non, ajebam, Juvenis generoſe, videbo
Romuleis clarum violis jus dicere, lites
Dirimere, atque viam majori ſternere famæ;
Quem vidi raptis indigna morte propinquis, [c]
Quos lacrimis merito, quos ſemper honore colemus,
More ſenum rexiſſe domum, legeſque paternis
Ponere rebus, eodem & tempore diſcere leges,
Jungere amicitias Procerumque Virûmque bonorum,
Aucto-

a Marius Compagnionius Patritius Macerat. Franciſci Viri integerr. filius.
b Proſper Marefuſcus S.R.E. Card.
c Avunculo, Patre, & Patruo Julio Cæſare Epiſc. Septemped. uno pene tempore mortuis.

Auctores priſcos miſcere recentibus, atque e-
Volvere continuo, ſapienter dicere: demum
Conſilio ætatem longo prævertere curſu?
Sumta ex Te claris exempla ſodalibus ullo haud
Tempore proponam, ſeu deterrere ruentes
Tentabo incautos in aperta pericula, ſive
Arcere a vitiis ſolido virtutis amore
Grande opus aggrediar? Sed qui pudor ingenuus jam
Ore Tibi fervet, quæque eſt mihi reddita Divûm
Munere amica ſalus dicta hæc abrumpere cogunt.
Vivimus, o jucunde Mari, per tot mala docti
Forte mori melius, pedibus quum ſera magis mors
Falcem impinget. Utrum at mecum luſiſſe putandum eſt
Nuper, & interitus ſolum incuſſiſſe timorem?
Mitior illa fuit, quum multos funere merſit.
Audi igitur tragicam rem forti pectore, nec me
Dicentem indignere. Ex tempeſtate recepto
In terram dulce eſt narrare pericula amicis.
  Frigore concretum virus labente Decembri [a]
Oppleto femur in lævum mihi ab hepate fluxit,
Atque dies morbi vidit me prima jacentem
Viribus afflictis, ſævoque dolore moveri
Difficilem, totas ſitientem Tibridis undas.
Tanta mihi ſalium mordebat copia pectus.
Peccatum eſt fortaſſe, mihi quod vena lacerti,
Vel pedis haud ſubito ferro eſt inciſa, nec humor
Teter ea minui potuit ratione: reperto
Aſt aditu totus diffluxit, eoque fibrillæ
Contractæ venas & vaſa exilia lymphæ
Preſſerunt. Sanguis novus & nova lympha meatus
Vaſorum obſtruſos nequaquam intrare potentes,
Circum obſederunt reflui, ſtagnoque quierunt.

Sic

a Anno 1736. Immanis quidem narratio, ſed forte non omnibus futura inutilis.

Sic obicem rapidi quum quis torrentis in alveo
Extruxit, ripam ſuperenatat humor utramque,
Viciniſque ſedet foſſis, & multus inundat
Planitiem, peſtemque vehit cerealibus agris.
  Ergo penetravit femur unda ſoluta diebus
Ter ſeptem, intumuitque horrendum ſanguine coxa,
Et fuit una mei pars major me prope toto.
Applicuere diu fomenta, expellere apertis
Forti rati poris [a] latitantem in gurgite peſtem.
Illa ſed eluſit medicamina, vimque recepit
Majorem pugnando. Febri conſumor & æſtu.
  Hinc omen capiunt lævum, alternique ſuſurrant
Me procul. Ecquid id eſt? inquam, communia verba
Solus ergo ignorem? Metuunt mihi dicere verum,
Cujus erat nauci jactura. Potentibus atque
Imperio claris quis mortis nuncius audet
Eſſe, MARI? audentem vel quis ſinit ire? Laborant
Mente prius plerique, ſciant quam funeris horam
Inſtare, ac rigidos ad portam vergere calces.
  Tandem mecum aliter: nam nunciat eſſe migrandum
E vita nulli cedens Vir in arte Richardus [b]
Paſcere verbo animas, celſoque inducere cælo.
Hic mihi cum vita viſum eſt finire dolorem
Dulce, MARI, fatear; ſed terreor ora propinqui
Judicis aſpiciens: nil morbus me meus angit,
Incipit & levis eſſe dolor, quum mente voluto
Me gravibus preſſum vitiis, me crimine multo
Jam coram infracto ſiſtentem Judice, verba
Omnia qui penſat, qui ſenſus diſcutit omnes.
Me iſta, MARI, febribus magis omnibus urit imago,
Vixque bonus ſenior, qua pollet, ſpeque fideque

Eſt

a *Tranſpiratio eſt inſenſibilis per poros difflatus excrementorum fuliginoſorum, ſeu fumoſorum flatus.* Ravelt. verb. Tranſp.

b Senex religioſiſs. Cler. Reg. Scholarum Piarum.

Eſt potis hortando ingentem ſuperare timorem.
Heu quotus evadet tam ſævo e gurgite ſoſpes!
  Panditur interea via non incerta ſalutis.
Nam ſubit in mentem Toyonus Jaſides [a] alter,
Qui mutas agitat, ſed non inglorius artes.
Hunc voco: quandoquidem letho me cetera turba
Deſtinat. Extemplo Juvenis me conſtitit ante,
Poſcit multa, malum tentat, linguamque manuſque.
Nec mora ſeſe operi ſolers accingit, & uda
Amovet anodyna [b], quibus noctuque diuque
Permaduit male putre femur, veſtitque referto
Pluribus & ſuppuranti cataplaſmate [c]. Quarta
Lux aderat, multum febriſque dolorque remitti
Cœperat, & puncto tumor aſſurgebat in albo.
  Ergo ſignatur crucis inſtar linea duplex,
Altera dimidio palmo, toti altera ferme
Æqualis [d]. Putrem Toyonus vomere terram
Scindit ſigna ſequens, & acuta immergit in imos
Tela ſinus. Fugiunt huc, illuc humida palmis
Lumina ſtringentes, aderant qui forte; ſedebat
Longe hic pallidior buxo, defecerat ille
Spiritu: erant, qui Te, præſtans Toyone, vocabant
Crudelem & Congo in medio, vel Canade natum,
Quique mihi taciti lympham feretrumque parabant.
Hos ego cernebam, moribunda & voce vocabam.
Vivebam ſiquidem, me vivere ſive putabam
Aut igne in medio, aut mucrones inter acutos:
Nam ſcindebatur dum muſculus unus & alter,

In

a Japis excellens chirurgus apud Virg. Æneid. 12.

b *Medicamenta ſunt, quæ ad ſedandos dolores ſenſum ſtupefaciendo, parantur*. Raveſt. Verb. Anod.

c *Medicamentum molle, quod concoquendo, reſolvendo, laxando, vacuando, ſedandoque dolori adhibetur*. Idem.

d *Majores ſinus latius incidendi ſunt, dandaque opera, ut imus ſinus exitum habeat, ne quis humor intus ſubſidat, qui proxima & adhuc ſana rodendo ſinuet*. Celſ. l.7. c.2.

In femore, obſcindique genu cerebrumque putabam;
Sunt adeo toto conjuncti in corpore nervi.
Quid multa? efficitur latiſſima foſſa: chirurgis
Nam lex eſt, aperire ſinus, & ſcindere lato
Vulnere. Menſuram cognoſcere ſi cupis, ungue
Vulſa fuere levi tenuiſſima vellera lini,
Quot capit inverſe plenus preſſuſque galerus,
Quæque ſuper digitis tribus eminuere; tot antrum
Illud enim abſterſum glomerato ſanguine cepit.
Si quoque vis carnis ſenſum cognoſcere ſectæ,
Illam pungebant tenuiſſima vellera, ſicut
Nudum ſpina pedem, teneram vel acicula frontem.
Uno horæ quadrante chalybſque manuſque chirurgi
Diſcerpſere mihi fibras; a vulnere jamque
Longe aberant, dolor idem, eadem punctura manebat
Seu parte in læſa, ſeu viva in imagine mentis,
Quæ cædem veluti præſentem exhorruit ultra
Horam, deinde nigrum phantaſma expellere niſa eſt;
Sed redit expulſum interdum, renovatque dolorem.
Hinc ad me gravis indignabunduſque vetabam,
Diſſector propius quatuor ne accederet ulnis,
Ni mihi monſtraretque manus manicaſque ſinumque:
Nam ferro armatum haud admittimus amplius ullum.
Oppletum lino vulnus revoluta ligârat
Tænia, jamque viam mediam nox humida cælo
Attigerat, quum me circum omnia plena cruore
Sentio. Adeſt ſubito Toyonus, opemque vocanti
Porrigit, ambiguus ne forte inciſa ſecando
Mi foret arteria. Abſtergit, medicatur, & arcte
Nectit vincla; cruor ſequitur novus & nova cura.
Spemque metumque inter binis diſtillo diebus,
Et nigrum apparet vulnus, cancroque propinquat.
Sacra dies aderat, qua VIRGO Puerpera NATUM
Depoſuit tremulas cani Simeonis in ulnas:

Q Hanc

Hanc ego præſidium mihi ſemper rebus in arctis
Voce animoque voco, compello hanc nomine Matris.
  Quæ non VIRGO ſuos, quæ nullum temnit egentem,
Audiit alma preces. Nec enim Tibi gloria, VIRGO,
Ulla unquam per me minuetur, nec mihi per Te
Spes ulla. Expediunt humentia ſanguine puro
Vincla, caroque rubens & viva in vulnere circum
Inque imo apparet. Primum riſitque, ſerenamque
Oſtendit frontem Toyonus; lætior olli
Ipſe ego arriſi, ſimul arriſere propinqui
Læti omnes, & laude virum ſuper aſtra ferentes.
  Credideris finem tantorum hic eſſe laborum.
Falleris: eſt etenim bellum hoc ferrumque ſequuta
Atra fames [a], qualem vix ſecula priſca tulerunt,
Solviſſemque libens uno pro mure philippum.
Eſt quoque lex ſævis vel in ipſa pace chirurgis,
Ut dira eſurie medicentur vulnera paſſis.
Legem obſervavit, legi & parere coegit
Me Toyonus inexorabilis; ardor edendi
Cuncta licet miſero popularetur mihi membra.
  O! quoties, rogo te dixi, Toyone, per iſta
Brachia, perque manus, quæ turpia ſub cute monſtrant
Oſſa, per hunc ventrem tam longo tempore inanem:
Da dextram miſero, da fruſtum panis amico.
Quid juvat eripuiſſe uno de funere, cogis
Si me alio periiſſe? Immobilis atque ſupinus
Ecce duos jaceo menſes: mea lumina ſomnum
Quinque per hebdomadas nullum cepere: quietem
Nullam habui, neque te ſum paſſus habere. Laborem
Poſco per hunc, per opus durum, quod ſponte ſubiſti.
Da pulli mihi particulam, da crura palumbi:
Non refricabit enim obductum res tantula vulnus.
  Sed ſurdo canimus. Solo me jure per unum

Men-

[a] *Si grave vulnus eſt, abſtinere, quantum vires patiuntur, cibo debet.* Celſ. l. 5. c. 26.

Menſem aluit: jus mî hoc viſum eſt contra omnia jura.
Aſt aliter ſapiens juvenis momenta pependit
Filo animæ tenui ſuſpenſæ. Nam cibus arcto
Ingeſtus ſtomacho humores renovâſſet inertes
Fœcundumque nova môſſet prurigine vulnus.
 Ex tot vulſellis reduci tantaque ruina
Triſtia Vulcani mihi vates fata canebant;
Scilicet aut captum fore viribus ima movendi
Membra, aut more anatum progreſſurum male claudum.
Omen & id duplici nixi ratione ferebant:
Seu quod vaſtâſſent ingentia vulnera nervos,
Sive quod incurvus terno jam menſe rigeret
Interius poples ſtrictus multiplice nodo.
 Sed me damna juvant. Extremum audito laborem,
Sique potes riſum cohibe. Subiit mihi vires
Explorare novas. Aberant cuſtos & amici.
Surgo igitur ſolus paulatim, circumeoque
Ter lectum quanquam claudus, Vulcanus ut alter,
Et mihi plaudo, putans me imitari heroas eundo. [a]
Dumque ita turgeſco demens, offendo ſcabroſum
Neſcio quem in laterem, & præceps cado pondere toto.
Eſt adeo tutus, quemcunque ſuperbia fulcit.
Horrendum doleo: pudet acclamare. Quid ergo
Actum eſt? Irrepo leviter, manibuſque prehenſans
Fulcra & lodices ſupero conatibus arcem
Morphei, & inſidias laterum vito altior ipſis,
Inferiora velut ſublimis retia turdus.
 Paulatim dolor ut ceſſavit, crura pedeſque
Metitus reperi, proh mirum! æqualia crura
Æqualeſque pedes, toto & me corpore ſalvum.
Caſus enim fecit curvato e poplite rectum.
 Teſtis es ipſe, MARI, quo coram incedo ſolutus,

 Gra-

a Videbatur tam male affecto aliquid eſſe veluti heroicum movere ſe poſſe & ambulare. Adeo pretioſæ ſunt vires carentibus.

Gratulor atque mihi veteri me redditum amico.
Quid noſtro de more iſto ab ſermone feremus
Utilitatis? Amuletum morbos Tibi contra
Mille duplex ſcribo. Studium vitare memento
Cœnatus pranſuſque: graves dein excute curas.
Præſtat namque bene, ignorantem multa, valere,
Quam Senecam tuſſire, vel ægrotare Platonem.
Præſtat multa ſuo volvenda relinquere fato,
Quam male torqueri, fruſtra retinere volentem.
Hæc facito, MARI Amice, diuque quod opto, valebis.
Aut ſi unquam, avertant quod Numina, corripiet Te
Par morbus, Tibi ſit præſto idem, parve chirurgus.
Nam mites interficiunt humaniter ægrum.

SERMO OCTAVUS.

Reſpondet Jo. B. Guilielmino gentili ſuo, Caſtellano Vennenſi, qui ſe ad reditum in patriam ſolicitaverat. Exponit cauſas, cur ſibi non redeundum putet.

GUILELMINE, aliis qui æquum jus dicis, iniquum
Mî dicis, remeare jubens ad patria tecta.
Pœnituit rediiſse ſemel. Tibi ſcire volenti
Cauſas ſimpliciter narrabo, pericula primum
Enumerando viæ, dein multa obſtacula, quæ mî
Opponit natale ſolum, prohibetque reverti.
Septembri medio digreſsus ab Urbe malignum [a] ob
Aera

a Digreſſis ab Urbe ſub finem æſtatis ad dimidium uſque autumnum putatur mortiferum dormire intra ſpatium quadraginta aut quinquaginta M.P. Optima ſunt remedia vigilia, ignis, ſuffitus, diæta.

Aera nil prima dormivi nocte, ſecunda
Turbárunt ſomnum longiſſima jurgia propter
Turdum, quem tulerat ſecum hoſpes, caupo negabat,
Nomine in Italia, re perfidus hoſtis [a] ubique.
Tertia erant nobis gens circumfuſa Canopi [b]
Multa, ſtatura humilis, facie nigra, corpore toto
Fœda, & ſi credis famæ, divina futuri.
Scrutari at loculos melius, quam ſidera nôrunt.
Nemo dormîſſet monſtra inter talia tutus.

At mihi nullus erit finis, ſi dicere noctes
Inſomneſque graveſque velim plenaſque timore.
Nam ternus mihi menſis itu redituque cucurrit,
Reſque novo ſemper gravis eſt decumbere lecto.
Nox tamen una aliis fuit anteferenda, jacebam
Qua ſacco paleis & ſicca fronde referto
Alpibus in mediis [c]; quod nempe jacere putarem
Me primum egregio in thalamo ſecurus ab omni
Vermiculo & contage: luem nam ſæpe cubile
Affricat incautis, cogitque exolvere pœnas
Sontis alius. At hoc penitus non eſſe ſinebat
Felicem, quod vel leviter quum membra moverem,
Obſtreperent ſiccæ frondes, ſomnumque fragore
Præcipiti excuterent, ſua vulnera forſitan ultæ.
Cui ſunt deliciæ tales, incommoda per Te
Conjice quot tulerit. Miſſis majora minutis
Perſequar. In pelagum tranquillum mane Liburno
Solvimus exiguam puppim, Thetidemque ſecamus.

Sol medium faciebat iter, quum vertere proram
Ad litus Lucenſe Charon [d] jubet, æquore quamvis
Immoto: nautis namque eſt præſaga mali mens.

Flare

a Caupo Italice Oſte.

b Natio ab Ægypto oriunda, Tartarorum more vaga, omnia ſecum portans. Italice Zingari.

c Cum de ſolis noctibus agatur hic, perturbat ordinem narrationis: nam hoc contigit in reditu in Italiam.

d Nauclerus.

Flare autem ſenſim Notus incipit. Inſtat anhelis
Navita remigibus; nam longe diſſita nobis
Eſt Via Regia [a]. Aquis innaſcitur æſtus, & undæ
Horribili ſtrepitu reſonantia litora pulſant.
Quo propius terris jactamur, eo minus oram
Cernimus, & quoties dorſum ſuperamus aquarum,
Stentorea nautæ conclamant voce vocantes
Auxilium, & manibus geminantes ſigna. Coloni
Litoris accurrunt, contoſque uncoſque ferentes
Ferrataſque ſudes, quæ cœcum intrare canalem
Cymbam adigant dubiam, mediumque tenere: per utrum
Nam latus irruimus certo gens debita letho.

Ergo duas nudorum hominum collabimur inter
Alas: hæc muro ſtat dextero & illa ſiniſtro,
Diſtantem nimis hæc retrahens, nimis illa propinquam
Depulſans cymbam, lumbis tenus utraque collo &
Summerſa interdum. Niſu ingentique labore
Ingreſſi tandem curva deducimur acta
Incolumes, ſed aqua madidi gelidique timore.

Pellimus igne gelu. Interea qui forte ſedebat
In Laribus ſenior, queritur ridetque. Quid hoc eſt
Monſtri, ajo? gaudet, dolet uno & tempore. At ille;
Punctus ait podagra doleo, ſed jam prope ſanus
Gaudeo; namque inſtat jejuno quarta dies mî,
Et finis podagræ, eſuries cui ſola medetur.
Nos eſt mane ſenex comitatus paſſibus æquis
Ad cymbam, juſſit multum & ſalvere abeuntes.
Quando laborabis podagra, jejunia ſerva;
Hinc etenim pedibus mordax ſubducitur humor.

Sed noſtrum repetamus iter, pelagoque ſequamur.
A modico liber majori occurro periclo.
Nam grandem Ligurum conſcendo in litore [b] pinum
Maſſi-

a Oppidulum in ditione Lucenſi, cujus canalem intrant minora navigia.

b Januæ.

Maſſiliam petiturus. Unelia [a] nocte ſecunda
Nos videt immotos, niſi quod verrunt duo remi.
Nocte fere media flare incipit Eurus, & Euro
Vela damus læti, modico ſed tempore: namque
Sævior increſcens turbat cælumque ſalumque.
Amplius haud vidi niſi ruptos nubibus ignes,
Nil niſi rugitumque maris gemitumque rudentum
Audivi, & clamores terrificos nautarum.
Quantum extra navim ſævirent omnia, fruſtra
Dicere coner. Ab his intellige, quæ miſeri intra
Pertulimus. Modica noſtris cum rebus ad octo
Siſtimus in cella. Pendens e fune lucerna
Horribili impingit motu ad laquearia, lucemque
Eripit ex oculis. Paries me hic dejicit, illum
Mî ad frontem paries alius collidit, & udo
Volvimur ambo ſolo: multi glomeramur in unum
Rurſus nunc ſurſum jactati, nuncque deorſum.
Hinc onus impellit, plena illinc mercibus arca
Dejicit in morem teſtudinis omnia ubique
Obvia; miſcetur pede pes denſuſque viro vir,
Et ſcamna & lances & vaſa & ahena. Redimus
In chaos antiquum, ſimul & confundimur. Algent
Sparſa maris ſpuma crebraque aſpergine membra,
Inſilit os imber ſalſus nareſque oculoſque:
Nautarum plangor ſociorum & flebile murmur
Terrorem ingeminant, quatiuntque immaniter aures.
Denique mortis adeſt quocunque impellor, imago,
Proque patet tumulo mihi plurimus æquore gurges.
At cui ſæpe datum eſt tumidos compeſcere fluctus,
Atque ſuos JOSEPH tuto deducere portu
Naufragio abreptos, mihi terque quaterque vocatus
Adfuit, & nota ſeſe pietate parentem

Mon-

[a] Civitas Liguriæ ſub Rege Sardiniæ, Principatus cognominis caput.

Monſtravit. Siquidem cum nocte procella reſedit,
Et ſalvos portum Telonis [a] vidit inire
Nos aurora. Adeo volat Euro concita navis;
Nempe plagis Ligurum Telonem quattuor horis. [b]
Mercator, Phrygias qui veſtes & muliebrem
Mundum arca clauſum cera atque bitumine tecta
Litus ad Hiſpanum Auſoniis vectabat ab oris,
Luſerat audaci cum virgine ſæpe quieto
Æquore: Tritonem hunc ægre nymphamque ferebant
Nautæ, importunos oſi gens frigida amores.
En tibi Maſſiliæ ſua quum deponit ab alno
Pondera quiſque, arcam videt hiſcere noſter amator
Partibus in multis. Aperit. Proh vulnus acerbum!
Proh dolor! unda maris natat inter ſerica, pallent
Puniceum & croceum fuſco mutata colore:
Auro diſtinctas ſitus & rubigo figuras
Confundunt, faciuntque aurum jam vile metallum.
Dum gemit horrendum mercator, & ungue revellit
Cirratos crines, venit en gravis ore manuque
Neuta ſenex: &, noſtræ hæc eſt, ait, ultio navis.
Namque locus ſacer eſt, quem nemo impune profanat.
Perge age, & æquoreos poſthac reverere Penates.
O dignum, urbanas qui pro rate dirigat ædes!
At laudabo procul ſemper mare, claſſica, nautas.
Eſt aqua namque mihi contraria. Ab æquore liber
Naufragium paſſus ſum pene minoribus undis.
Primum intentavit furibunda Druentia [c], ſugit
Quæ liquidas Alpes, latoque immergit in alveo
Sæpe ratem improviſa ruens & turbida cœno.
Alterum in Helvetia lacus Altorfenſis, in ampla

Quem

a Portus Galliæ ampliſſimus ac toto orbe celeberrimus.

b Emenſum ſcilicet maris ſpatium 45. circiter Leucarum, ut dicunt, nempe 140. M. P. horis quatuor, aut non multo ſecus.

c Fluvius Provinciæ Romanorum, gallice la Durance.

Quem trabe cum bobus tranavimus. At niſi velum
Acceleràſſet iter, hominesque boveſque profundo
Trabs inverſa lacu merſiſſet; tanta repente
A fundo latices tempeſtas miſcuit imo.
A puppi ad litus perniciter ire laborans
Denſa boum quadrupes [a] repſi per terga. Timore
Horrebat pavitans mutum pecus, & caput inter
Crura abſcondebat, laxam ſolvebat & alvum.
Mox imitatum homines certatim in litora ſaltu
Deſiliebat, & inſpecto poſt terga periclo
Perflabat nares fugiens, caudamque movebat.
Ridebam armentum ſpectans in litore, abegit
Sed me unda, inſpergens multo mihi flumine lumbos.
Jure averſor aquas igitur [b], diſcoque periclum
Exemplo noſtri quondam evitare catelli.
Is primum egreſſus patrio de ſtramine fontem
Eſſe ſolum ratus, ingreditur; ſed cedere ſenſit
Ut liquidum plantis metuens immergier, auras
Latratu implevit; porrecto fuſte reduxi
Ad ripam. Excuſſis villoſo ab tergore guttis
Allatravit aquæ, denteſque oſtendit acutos,
Grandior & fontes & flumina credidit hoſtes,
Et procul objurgavit atrox quemcunque fluentem.
Nunc ad iter venio terreſtre. Cadavera vidi
Præteriens Alpes [b] glacie concreta, minaces
In me oculos veluti tendentia, quod nimis audax
Poſtridie illorum mortem juga dira ſubirem
Haud ventos metuens niviumque volumina & iras.
Nam denſo adverſos ferientes turbine vultus
Concluſere animas miſerorum in faucibus imis.
Silvam alibi [c] ingreſſo, quercum hanc, auriga colore

a Nempe manibus & genibus.
b .... *Non hercle dici poteſt, Tantum, quam re ipſa navigare incommodum eſt.* Ter. in Hecyr.
b In jugo, quod S. Gothardi vocant.
c In confiniis Inſubriæ.

Mutato, vide, ait: graſſator multus heri tres
Ferro hic ſtravit; adhuc madidæ ſunt ſanguine glebæ.
At me primo aditu in ſilvam, ſtultiſſime rerum,
Iſta mones? Nullum nemus unquam obſcurius iſto,
Horridius nullum vidi. Brevis eſt Arduenna,
Terminus Hercyniæ non ſic protenditur; hora
Infandum nemus hoc quanquam prætervehor una.
Sed quibus in ſilva tres [a] non occurrimus, unus
In patulo occurri ſævis latronibus agro.
Non procul a Dola gradienti in equo mihi bini
Obveniunt pedites, hic canus, ſubniger ille,
Torvus uterque oculiſque minax. Tum, quo via ducit
Hæc? ajunt. Dolam. Nobis tecto capite? inquit
Junior, aſſiliunt & utrinque. Pericula fortes
Therſitas faciunt quandoque. Cito omnia tenſa
Fræna manu immittens ferio calcaribus armos.
Dejicit hunc equus atque illum, panditque viam vi,
Et velut admonitus communis utrique ſalutis
Ocior alitibus celeri volat ocior Euro,
Meque probris fures fremituque ſequuntur inani.
Sed ne forte putes Æneæ me, vel Ulyſſis
Velle pares caſus totidemque referre labores,
Cetera prætereo, majora & vera loquutus.
Dic mihi nunc, cur non poſt vincla, ergaſtula, remos,
Hoc quoque ſupplicio ſontes damnantur, ut errent
Per maria & terras? Fraterna cæde cruentum
Primum errare hominem juſſit, longeque vagari
Juſtitiæ exemplar primævæ Conditor orbis. [b]
Cur non in veſtro eſt ſcripta hæc quoque Codice pœna?
Quidquid id eſt, præſtat in ſede morarier una.
Quæ a vobis bona, forte malis pejora, recepi,
Jam loquar: iccirco ne ingratum crede: recordor

Quæ

a Auctor, Pictor Neapolit. & auriga, qui illac quoque pridie tranſiverat.

b *Vagus & profugus eris ſuper terram*. Gen. 14.

Quæ mihi Tu, reliqui quæ ſanguine juncti & amici
Officia exhibuiſtis. At ut Sophos ille monet: Ne
Quid nimis. An modicas mihi cœnas ipſe paraſti?
An modicas alii? Conſuetum vivere parvo
Veſtræ accumbentem plus æquo tempore menſæ
Tædebat, mihi nec quanquam humaniſſimus hoſpes
Tædia pellebat, nec doctus ſermo, nec ode
Miſta frequens. Ita faſtidimus cuncta coacti.
Nec ſatis hoc. Guſtare novas poſt fercula plura
Multi ſuadebant epulas, nec grandia multi
Pocula ſpernebant, nec multa, iterumque iterumque
Mîque meiſque propinantes. Quid vina Polycnj
Sequanicæque dapes ſaturo potoque decenter?
Plus ſapiunt, quam nos, animalia muta; comedit
Quum ſatis, & potavit equus, potumque cibumque
Præbe, haud illecebris, haud virga ſumere coges.
Adde iſtuc: hodie cœnavi lautus apud Te:
Cras, inquit conviva alius, cœnabis apud me.
Inde alii Lunæque diem Martiſque Joviſque
Ordine diſtribuunt. Ego denique ſemper opimo
Semper in omni epulo converſor Apicius alter.
Invitatori ſi forte venire recuſo
Nec diverticulo ſatis apto callidus utor,
Dicor inurbanus, Clochis præpono Rinaldos:
Atque ita me urbanus neco. Sanus enim nequit ullus
Eſſe diu conviva, frui nec munere vitæ.
Præterea incuſant multis materque ſororque
Tam ſæpe abſentem. Cur, ajunt, ergo rediſti,
Si matremque domumque fugis, nec cura tuarum
Ulla tibi eſt? Tantum a nobis hoc tempore diſtas,
Quantum diſtabas trans longinquiſſimus Alpes.
Solicitæ abſcondunt veſtes exire paranti,
Nec reddunt, niſi me rediturum ad prandia ſecum
Pollicear, dextraque data conteſter. At eheu!
R 2 Illa-
Digitized by Google

Illabor miſer in Scyllam vitando Charybdim.
Namque domum rediens aliquo comitatus amico
Convivas alios me non prudente vocatos
Invenio. Totas urbani moris habenas
Hic laxare opus eſt, comiteſque præire bibendo:
Parcus enim hoſpitibus gravis eſt, & ſobrius hoſpes.
At ſolum me finge domi, ſoloque meorum
In comitatu. Omnes circumſtant me, ſtudioque
Occidunt nimio. Vis hoc? ait ille, vel illud?
Hæc: heu tuſſit: hiems noſtro eſt magis aſpera cælo,
Quam quo ſuevit: eget medico, medicum euge, vocato.
Illa nihil ſatagit præter mea; net, ſuit uni,
Currit, obit, luſtrat, credit me ſemper egere
Multis; nunquam ideo venit ad me dextera inani.
Quodque eſt ridendum, flet, ſi ſua negligo dona.
Quæ jam narravi bis terque, repoſcit & urget
Moroſum, gaudetque iterum ſpectare minutim
Rerum adjuncta parens, & cuncta pericula nôſſe.
Horret & interdum veluti præſentia; cumque
Me videt hiſcentem: non nôſti viſcera matrum,
Inquit, nec potis es naturam vincere. Perge;
Namque ſuas lacrimas, ſua habet lamenta voluptas.
Pergere mandatum cogit, reverentia ſenſum
Diſſimulare animi non mollia ferre potentis.
Eſſe odio miſerum eſt, miſerum eſt vehementer amari.
Nemo ad vos redeat tam forti pectore demum,
Quem veſtræ non deliciæ, non gaudia frangant.
Captatis fidibus variis & cantibus aures,
Lumina munditie nitida lariumque hominumque,
Et vultu ſincero animos & pectore puro,
Officiis pleni certatim atque ubere dono.
Cum me illuc revocas, ſi rem bene pendis, amice,
Mergere vis vel aquis miſerum, vel perdere luxu.
Ergo mentem alio converte. Nihil mihi amœna

De

Digitized by Google

De vallè & lætis Ruſſei collibus, aut de
Chryſopoli [a] templis & magnis ædibus aucta; [b]
Nil mihi de veſtris reſcribito rebus, ut hamo hoc
In patriam retrahas: etenim piſcabere fruſtra.
Eſſe volunt inter nos Alpes fata. Valete &
Eſte mei memores, ut veſtri ſum memor uſque,
Sum memor atque viæ infinitorumque laborum.

INDEX

a Veſontio Urbs Galliæ antiquiſſima Metropolis Sequanorum dicta Chryſopolis, quod *hujus Urbis portas puro quondam auro contectas fuiſſe conſtat*. Geor. Bruin l. 2. de Urbib. pag. 16. Hinc Poët. Lig. ad Frideric. II. Imp.

Has tibi Metropoles & primi nominis Urbes,
Chryſopolim placidam, Lugdunum, ſive Viennam:
Chryſopolim Dubis, reliquas perlabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.

b Addit ibid. Georg. Bruin *Quamvis Veſontina Monarchia tantæ non fuerit dignitatis, quantæ olim Romana; tamen publicorum ædificiorum magnificentia proxime ad ejus gloriam acceſſit. Vetuſta ſiquidem in hac Urbe monumenta, qualia Romæ conſpiciuntur, quæ Pantheon, Campus Martius, Dianæ, Minervæ, Lunæ, & Columnæ vulgo ſemper latine dicta*. Præſens Veſontio ædificiis novis ac magnificis priſtinam pene æmulatur. Vid. de hac Urb. Cæſ. de Bel. Gall. & Chifl. in Veſont.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

RERUM.

A

Academiæ Romæ celebres Arcadum & Infœcundorum. 49.

Academia Nobilium Artium in Capitolio a Clem. XI. P. M. fundata. 41. 111.

Adulatio turpiſſimum vitium. 38. peſtis Principum & Nobilium. 84. 85.

Ærumnæ humanæ vitæ. 18. 19.

Alexander Magnus homo omnium ambitioſiſſimus. 52.

Alexiovitz Petrus Dux Moſcorum excellens Imperator. 29.

Ambitio impellit ad flagitia. 13. furioſa & inſatiabilis. 52. corruptrix morum. 84.

Amici nomine multi. 86.

Amicitia improborum fugienda. 8. Optimatum procuranda & quibus modis. 15. vera in virtute fundata. 114.

Amor pernicies adoleſcentium. 10. 14. 53. 54. fortunis ſpoliat. 65. cum carnifice comparatus. 67.

Animæ dignitas. 43. 103.

Animi perturbationes valetudini noxiæ. 19.

Animi bona ſola in homine conſideranda. 32.

Antiquitas vitæ magiſtra. 73.

Antiquorum mores. 93. & ſeq.

Antonellus Com. Philippus & Nic. Rom. C. Prælat. laudati. 113. & ſeq.

Architecti celebres. 112.

Architectura laudatur. 42.

Arrogantia vitium intolerabile. 62.

Ars longa, vita brevis. 57.

Ars culinaria non valde amica virtuti. 78. 79.

Artes bonæ virtutis adminiſtræ. 43.

Artium auctor Deus. 42.

Avaritia ſemper creſcit. 51. 52. fraudulenta. 84. 86.

Avaro deſunt omnia. 40. nulla negocia injuſta. 86. nulla fides. ibid.

Avarus odio omnibus. 52.

Auctores boni *ſimplex dumtaxat & unum* agunt. 57

Auguſtinus S. ſcriptor vitiorum ſuorum. 5.

Auguſtus Cæſ. clemens factus monito Mœcenatis. 86.

Aulicola comtior deſcriptus. 31. deſcriptus neglectior. 32. quo cultu corporis eſſe debeat. 33. quam patiens. ibid. debet diſſimulare aliena vitia. 37. te-

tegere ſua. ibid. proſpicere futurum. 36. promovere res ſuas probitate. 39.
Aurum leges non movet. 14. neque bonos Judices. 107. potens in foro advocatus. 87
Aurum in opere Phrygio aqua maris corruptum. 128.

B

Beatitudo nulla in caducis bonis. 51. & ſeq. Cæleſtis deſcripta. 115.
Bellum multa habet incommoda. 27. gerendum in vitia. 26.
BENEDICTI XIV. P. M. laudes. 83. 84. 89.
Beneficentia virtus ſapientis. 19. Beneficus non totus moritur. 116.
Bibliomania quoddam morbi genus. 55.
Bidental ſacrificium duarum bidentium cur fieret. 90.
Boni rari. 98.
Bonum nullum ſine virtute. 51. & ſequen.
Borellius Alphonſus excellens Mathematicus. 56.
Bruta docent nos nonnulla. 38. indocili homine præſtantiora. 61. 62. fugiunt pericula. 129. 130.

C

Calaſantius Ven. P. Fundator Schol. Piar. 46. 127.
Canus Melchior egregius Theologus. 56.
Carcer mulierum nuper Romæ ædificatus. 99.
Carteſii ſententia de natura hominis. 16.
Cato obſcœnos comœdos adventu ſuo in theatrum fugat. 13.
Cavendum a ſe ipſo. 26. 98.
Cavendi qui? 8.
Cenſor quandoque iis, quos reprehendit, pejor. 98. iracundus. 99. injuſtus. ibid. ambitioſus. 100. ad eum monita. 101. 102.
Character Adulatoris. 84. 85. ambitioſi. 13. 52. 79. ardelionis. 76. avari. 51. 52. 86. jactabundi. 37. impii. 58. 85. inepti & ſocordis. 67. & ſeq. moroſi. 99. & ſeq. probi. 19. 23. 24. probitatem ſimulantis. 78. & ſeq.
Domini boni. 34. imperioſi. ibid.
Judicis æqui. 107.
Juvenis amore capti. 64. & ſeq. indocilis. 60. & ſeq. otioſi. 105. probi. 7. 15. 117. prodigi. 10. 96. ſcioli. 75. 76. ſtudioſi. 16. 57. & ſeq. ſuperbi. 63. 80. 86.
Militis glorioſi. 26.
Militis ſtrenui. 26. & ſeq.
Mulieris probæ. 22. inverecundæ. 86. 93.
Principis optimi. 83. 89.

Puel-

Puellæ impudentis. 65. 94. in officiis ſolicitæ.132.
Puerorum ſeſe ſponte natura in quibuſdam artibus exercentium. 41.
Chirurgus excellens.120.& ſeq.
Chirurgus mitis ægrotum necat. 124.
Cibi leves non ſatiant. 48. nimii officiunt. 56. modici ac boni juvant. 56.
Circulatio ſanguinis opus Dei admirabile. 72.
Clementis XII. P. M. laudes. 44. 103., & ſeq.
Cœnæ lautiores ſaluti noxiæ. 27. 131.
Cœtus doctorum utiles. 3. 54. 106.
Conſcientia magiſtra morũ.73.
Conſolatio in funere amici.113. & ſeq.
Corporis bona fluxa.21.113.114.
Corpus mancipium animæ. 78. molliter curatum funeſtum virtuti. 78. 79.
Corſinus Eduardus Scholarum Piarum præſtans Philoſophus. 56.
Creatio hominis. 103.
Creſcimbenius Marius Gener. Cuſtos Arcadiæ. 9.
Critice præpoſtera. 62.
Cupiditas inſatiabilis. 51.
Cupido nihil boni ſuadet. 21. dementes facit. 64. redigit ad inopiam. 65.
Cura gravis noxia. 19.

D

Deus ante omnia colendus. 13.
Deus Auctor artium. 42.
Dei juſtitia. 43. 100. 119.
A Deo, quod deſideramus, petendum. 13.
Dei-Paræ efficax patrocinium. 122.
Deliciæ corruptrices humani generis. 10. 78. 79.
Dies duo jucundiſſimi. 23.
Divitiæ non diſſipandæ.10.quæ veræ. 40. qua arte comparentur. 14. 51. non coacervandæ. 52.
Docile ingenium præſtat excellenti. 63.
Doctrina juvenum parvifacienda. 10. ubi comparanda. 9. oſtentatorum ridicula & falſa. 72. & ſeq. ſine probitate pernicioſa. 59.
Dominus imperioſus. 34.
Dominus bonus. 34.
Domini ſolent errores ſuos in domeſticos rejicere.35. ſæpe iis, quos amant, nocent. 36. parent aliquando ſervis. 68.
Dona amantium profuſa. 65.
Dos præſtantiſſima virtus ſponſæ. 22.
Dos in vultu & voce res miſera & pericuLoſa. 65.

E

Educatio bonum præſtantiſſimum. 50. neglecta parit

rit damna ingentia.90.& ſeq.
Educationis bonæ exempla. 22. 93.
Eloquentię decus & utilitas.47.
Excuſatio frivola. 10.
Exempli mali vis & damna. 92. & ſeq.

F

FAbula de aſino Ocni. 11. de cornice alienis plumis induta. 31. de pruno in Numinis effigiem converſa. 81. de zona verum ab invitis eliciente. 87. de ericio accuſatore aliorum animaliū.101.
Fallaciloquentia ingens malum humanæ ſocietatis.84.& ſeq.
Fama bona res ſacra. 5. ei detrahere ſcelus. 1.
Fama res valde incerta.77. bona quomodo acquirenda.82. mala homini exitioſa. 54.
Fames ſalutaris. 122.
Felicitas in caducis bonis nulla. 51. & ſeq. collocanda in virtute. 39. 54. 112.
Florentia laudatur. 104.
Forma commendatoria ad omnes nationes epiſtola. 15. res valde caduca. 21. 114.
Formæ cum virtute conjunctæ laus. 15. 22.
Fortunæ non fidendum. 51.
Fraudes ubique gentium. 89.
Friderici Saxoniæ Principis laudes. 109. & ſeq.
Frugalitas ſalubris. 56.

G

GAlli Mareh. Petrus Auct. olim diſcip. 76.
Gloria magna a militia. 28.
Gloria fugit ſequentem. 82.
Gula ingens hominis probrum. 79.

H

HErculanus Joſeph. U.S.R. &c. 1.
Homo eſt res cogitans. 16. ex ſolis animi bonis æſtimandus. 32. natus ad exercendas artes. 41. ad commune bonum.48.quinam optimus. 98. delicioſus Remp. non adeat. 106.
Homini difficile vitia ſua tegere. 35. 77.
Hominis ſtupidi & inepti vita. 67. & ſeq.
Hominum officia inter ſe. 98. 99.
Honores qua via adeundi. 13. 53.quibus moribus ſuſtinendi. 83. 84. 89. 107. 108. ſi meritis negantur, patienter ferendum. 13. 53.
Honores non mutant mores Viri probi. 89. ne mutarent, cautum a Romanis. 20. non explent animum ambitioſum. 52.

I

JAcomellus Michael Angelus Cap. Sec. Pont. M. &c. 90.
Jactatio indicium levis animi. 37.

37. ſuperbi & arrogantis. 79.
Ignorantia ſuperbi invincibilis. 62. & ſeq.
Ignorantia ſenis prodigioſa. 75.
Ignorantia veri cauſa multorum vitiorum. 86.
Imitatio indita pueris a natura. 41. 93. & ſeq.
Imperium bonum miſcet dulci amarum. 71.
Impietas ex prava lectione. 58.
Improbi ſunt nonnulli, ut aliis placeant. 38.
Improborum rumores contemnendi. 39.
Improbitas manifeſta potior ſimulata probitate. 78.
Impudentia fœminarum ſcopulus adoleſcentium. 65. 94.
Ingenium certis ſtudiis continendum. 57. docile præſtat perſpicaci. 63. magnum admiſtum ſuperbia. 62.
Ira perturbatrix humanæ ſocietatis. 99. eſt interdum calcar virtutis. 68. quomodo ea utendum. ibid.
Iter longum brevi tempore confectum. 128. obitum per multa pericula. ibid.
Judicis partes. 14. 107.
Judicium extremum pictum a M. A. Bonarota. 43.
Jurisprudentiæ neceſſitas & utilitas. 14.
Jus famæ bonæ ſacrum. 5.
Jus vinculum humanæ ſocietatis. 14.
Jus quo animo dicendum. 107.
Juvenis probi laus. 6.
Juvenis cenſura aliorum abſtineat. 15.
Juvene ſciolo nihil intolerabilius. 76.
Juventus ſolicite educanda. 2. mobilis quolibet vento. ibid. arcenda a maledicentia. 5. ab improborum ſocietate. 8. adulatione decipitur. 85. malis exemplis corrumpitur. 92. & ſeq.
Juvenum indoles. 28. quæ prima eorum ſtudia eſſe debeant. 49.

L

LAbor inutilis. 11. 17.
Laconis moderatio ſingularis. 53.
Lambertus Nobilis Germanus Lambertinæ Fam. Auctor. 83.
Laurentinus Franciſcus Gen. Cuſtos Arcadiæ. 26. 110.
Leges ſanctæ. 14. Judici ante oculos habendæ. ibid. & 107.
Liber nemo vitioſus. 99.
Libri multi adoleſcentibus noxii. 55. 56. mali exitioſi. 47. 58. 94. quinam ſeligendi pro ethica. 73.
Libro in lucem edito quid metuendum. 46.
Libros Sacros non eſt fœminarum volutare. 74.
Loquaces vitandi. 8. moleſtiſſimi:

mi, qui & vulgo *ſiccatores*. 75. 76.
Loquacitas indicium fatuitatis. 61.
Loquacis cum pſittaco comparatio. 61. hic illo conſultior. ibid.
Loquendum de nobis in neutram partem. 5.
Loquendum, quum ſuppetit aliquid melius ſilentio. 38.
Lucatelli March. Joan. Petrus, itemque Joſeph U. S. R. ejus conſobr. 3.
Ludo & relaxatione animi quouſque utendum. 24.
Luxus fax domorum & familiarum. 10. 70. 96. 105. 106.
Luxus in epulis ſaluti pernicioſus. 55. 56. 131.

M

MAgiſter ignorantiſſimus. 74.
Malis ſubitum remedium adhibendum. 70. quando mora utilis. ibid.
Marazzanus Comes Petrus de Vicecomitibus. 115.
Mareſuſcus Proſper S. R. E. Card. Pont. Max. Vic. 117.
Matrimonium qua ætate ineundum. 25. ineundum inter pares. 64. initum inter impares plerunque infelix. 67. puellarum egentium artes ad aucupanda matrimonia cum divitibus. 65. 94.
Matres lactare debent filios. 91. negligentes in iis educandis. 94. malo exemplo corruptrices filiarum ſuarum. 93. & ſeq. anxiæ in perquirendis ſpectantibus ad filios. 132.
Medicus nemo bonus ſine experientia. 72.
Mediocritas in omnibus optima. 51.
Meditatio quæ utilis. 17.
Medium tenuere beati. 51.
Mendacium multos perdidit. 15. plurimos quotidie decipit. 84. & ſeq.
Mente captorum ſermone interdum delectamur. 62.
Mens ſemper cogitans. 16.
Metaſtaſius Petrus Poeta celeberrimus. 56.
Miles glorioſus. 27.
Miles ſtrenuus. 27.
Militiæ decus, & emolumenta. 28.
Militis multa incommoda. 26. & ſeq. leges. 27.
Militaris ars diſcenda exercitatione. 30.
Moderatio ſingularis Laconis. 53.
Modeſtiæ laus. 13. 15. 23.
Monſtrum ſingulare. 63.
Moralis pernicioſa. 73.
Moreus Mich. Joſeph. 110.
Mortis meditatio vera philoſophia. 17.
Quorum mors lugenda. 116.
Moriuntur Optimates multi an-

antequam ſciant eſſe moriendum. 119.
Mulieres inter rara concordia. 25.
Mulieris probæ laus. 22. 23.
Mulieris ornatus ſplendidior pudicitia. 23.
Mulieres non decet ſtudium ſacrarum literarum. 74. earum officia. ibid.
Muſæ inopes. 40. 47. ſufficiunt poetis contentis vivere parvo. 40.

N

NAvis locus ſacer. 128.
Navigationis incommoda & pericula. 126. & ſeq.
Nautæ præſagi futuri. 125.
Nautæ ſapiens effatum. 128.
Nequid nimis. 131.
Nobilitas unde acquiritur. 28. qua lege traducta ad poſteros. 24. contemta a ſapientibus. 80. ſuſtentanda bonis moribus. 24. 51.
Nobiles quandoque mechanica exercent. 26. plerunque otioſi & deliciis dediti. ibid.
Nocet ſibi, qui nocet aliis. 2.
Quid vere noſtrum. 32.
Noſtrum non eſt, quod auferri poteſt. 113.
Nox domi tuto tranſigitur. 9.
Nuptiarum ſolemnitas. 21. quid in ea reprehendendum. ibidem.
Nutrix vilis & plebeia non probatur. 91. mores ſuos infundit in alumnum. 92.

O

OCulis inſunt multa pericula. 15. 67.
Officia adoleſcentium. 6. & ſeq. 12. & ſeq. conjugum. 22. & ſeq. Nobilium. ibid. militum. 27. & ſeq. aulicolarum. 32. & ſeq. hominum inter ſeſe. 98.
Officia nimia moleſta. 131.
Officioſi verbis multi, re pauci. 86.
Otii damna. 8. 68. & ſeq. 105. 106.

P

PAtientia maxime neceſſaria aulicolis. 33.
Paulini a S. Joſeph orationes laudantur. 47.
Peccato Adami tota natura infecta. 60.
Pecuniæ potentia. 51. 107.
Phylacidas: vide, Laurentinus.
Philoſophia variabilis. 16.
In philoſophia plurima incerta. 17.
Philoſophiæ quæ pars maxime excolenda. 17.
Philoſophi qui vere ſapiant. 19.
Philtrum amoris. 38. 39.
Pictores celebres. 112.
Pictura laudatur. 42. 112.
Pietas in Deum virtus prima. 13.

Digitized by Google

- 13. 59. in miſeros indicat verum ſapientem. 19. in patriam optimum civem. 23. 116.
Plauſus vulgi metuendus. 39. publicus laus maxima Principis. 89.
Pœna inevitabilis animus conſcius. 4. 54.
Pœna peccati comes. 9. 54.
Pœna mali poetæ carmina condere. 46.
Pœna a Deo Cain impoſita. 130.
Pœnitentia ſera, dubia. 4.
Poeta natus non remorandus. 49.
Poeta *nubes & inania captans.* 74.
Poetis quorum judicium ſit metuendum. 46.
Poetarum patrimonium Muſæ. 40. 47.
In Poeſi quouſque ſit adoleſcentibus progrediendum. 48. 49.
Poeſi quomodo ſapientes viri utantur. 49.
Probitas amorem conciliat. 39.
Pudet magis dici, quam eſſe vitioſum. 38.
Quem pudet peccati, eſt fere innocens. 98.
Pudor color pulcherrimus. 62.
Pueri ſponte natura ædificant & pingunt. 41. alias artes neſciunt. 69.
Puerorum plebeiorum pravi mores. 90. Nobilium multa pericula. 85. & ſeq. 91. & ſeq.

Q

Quæſtio nova. 87. quæſtus contemtus magnæ divitiæ. 40.

R

Regnum felix. 110.
Regulæ Collegii Nazareni. 50.
Religio ante omnia colenda. 13.
Remedium amoris. 15. 67.
Remedium ſubito malis adhibendum. 69. aliquando mora utilis. ibid.
Remedia pro debili ſtomacho. 72. pro aere inſalubri. 124. pro podagra. 126.
Richardus a Salvat. S. P. 119.
Roma laudatur. 12. 18.
Romuli ferocitas a nutrice. 91.
Rumores improborum contemnendi. 39.

S

Sacra religioſe peragenda. 107.
Sapientis mores. 19. 39.
Sapientes opinione ſua multi. 71.
Satyræ in homines contra jus & fas omne. 1. 2. quænam ſint licitæ. 1. 5.
Saxoniæ Princeps Fridericus laudatur. 109. & ſeq.
Scholarum Piarum Ordo a quo & quem

& quem ad finem inſtitutus. 46.
Scioli imponunt imperitis. 72. & ſeq.
Sciolus juvenis intolerabilis. 75. 76.
Scientia juvenum non magni facienda. 10. Scientia falſa. 72. & ſeq.
Sculptores celebres. 112.
Scriptori quid curandum. 57. 58.
Scriptura ſacra fœminis non permittenda. 74.
Scurram agere opus pudendum. 61.
Sequani officioſiſſimi. 131. 132.
Sermo quid ſit & unde dictus. 2.
Servi rerum negligentis domini non boni cuſtodes. 68.
Serva domino imperitans. 68.
Simia imitatrix hominum. 62.
Socii improbi pernicioſi. 8.
Socratis modeſtia. 71.
Stemmata Nobilium unde. 28.
Studiorum methodus, ratio potiſſima diſcendi. 57.
Studium ethices neceſſarium. 17.
Stupiditas hominis ſingularis. 70.
Stupor animi & vecordia prudentia interdum vocantur. 70.
Superbia ignorantiâ alit. 63. ex homine monſtrū facit. ibid.
Superbus ſibi omnia. 86. odio omnibus. 80. 86.

T

Temperantia magiſtra juventutis. 50. & ſeq.
Tempeſtas deſcripta. 127.
Tempore nihil pretioſius. 70.
De Tencin Petrus S.R.E. Card. Archiep. Lugd. 16.
Timor in milite ridiculus. 27.
Timor ubi valde nocet. 38. ubi utilis. 22.
Toyonus Jacobus Chirurgus præſtantiſs. 120. & ſeq.
Tulliæ immanitas. 13.
Tunica moleſta ſupplicii genus. 93.

V

Valetudo continentia, & frugalitate ſuſtentatur. 8. 56.
Veritas latet in puteo. 16. una eſt. 17.
Veritas æque ac potentia Deum nobis manifeſtat. 84.
Verum vix quis audet dicere. 86. diſſimulatum cauſa vitiorum. ibid. ſincere dictum corrigit quandoque malos. ibid. a quibus auditur. 86.
Verſus Feſcennini infames. 21.
Verſus turgidi irridentur. 74.
Veſontio, quæ & Chryſopolis & *Maxima Sequanorum* apud Cæſarem. 139.
Vir probus ab æquo & vero nunquam diſcedit. 89.
Vir probus non totus moritur. 116.

Digitized by Google

Virum nobilem quæ deceant. 23. 24.
Virtus una ſuperſtes in morte. 17.
Virtus majorum imitanda. 24. 29. unicum honorum pretium. 13. 53. ſola inter hominis bona immortalis. 112.
Vitam privatam agere tutum. 32. Vitam beatam quæ faciant. 54. quæ breviorem. 19.
Vitia reprehendere eſt Religioſi hominis & Sacerdotis. 1.
Vitia naturæ in aliis ridere & ſimulare, improbum. 61. 62.
Vitia familiaritas detegit. 78.
Vitia diſſimulata creſcunt. 85. 86. aliena quiſque videt, nemo ſua. 98. 99. 100.
Voluptas juvenum peſtis. 9. 53. 54. veniens ſuavis, recedens amara. 53.
Voluptas quæ vera. 39. quæ licita. 54.
Uxor qualis ducenda. 21. 64. quæ ſint ejus officia. 22. 23.

FINIS.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

EXCUDEBANT ROMÆ
NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI
BIBLIOPOLÆ ET TYPOGRAPHI
AD THEATRUM POMPEII
ANNO cIↃ. IↃCC. XLII. MENSE JULIO
SEDENTE
BENEDICTO XIV. PONT. OPT. MAX.
ANNO II.

MAG 2022542

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google